144

# JACOBI FACCIOLATI

## INSTITUTIONES

## LOGICÆ

## PERIPATETICÆ

EDITIO ALTERA

RETRACTATIOR.

VENETIIS

Apud JO. BAPTISTAM ALBRITIUM HIER. FIL.

MDCCXXXVII.

*SUPERIORUM PERMISSU AC PRIVILEGIO.*

Digitized by Google

145

# *EPISTOLA PRÆMISSA*

## EDITIONI PRIMÆ

## *AD III. VIROS LITTERARIOS*

### *GYMNASII PATAVINI.*

*EXacto jam ſexennio, in quod mihi ad Logicam publice profitendam diploma dediſtis, Viri ampliſſimi, ſtudii mei atque induſtriæ vobis rationem reddo. Æquum eſt enim, id vos a nobis requirere, quod nos ab adoleſcentibus noſtris requirere ſolemus. Etſi autem mihi in hac diſciplina tradenda aliquid pro ſæculi more li-*



Digitized by Google

166

*qui memoriæ periculum facere malunt. Siquid eſt apud illos, quod probari debeat, ut eſt ſane multum, ſive ex hoc ipſo fonte manarit, ſive aliunde, non fuit nobis difficile, partim* Rudimentis *anno ſuperiore editis, partim* Inſtitutionibus *iſtis aſpergere. Non opus eſt pluribus, ut intelligatis, quid rei ſit, quod vobis affertur. Ad modum & rationem quod attinet, habetis Opuſculum ἐρωτηματικὸν, puris ac perſpicuis verbis compoſitum, quale prorſus ingenia illa infirma, quibus ſcribo, poſtulare videntur. Haud aliter Cicero ſuas ad Marcum Filium* Partitiones *dedit, minutatim interrogando ac reſpondendo. Quid enim ad diſcendum & docendum tam naturale eſt, quam interrogare, & interroganti reſpondere? Itaque magnum illud Galliarum ingenium, Ludovicus Dupinus in Methodo ſtudii Theol. c. 25.* Modus, *inquit*, exercendi juvenes & docendi dialogicus optimus & vetuſtiſſimus eſt. Hunc Philoſophi antiqui, præcipue Socrates & Plato tenuerunt: hunc plures veteres Eccleſiæ Patres in operibus ſuis ſecuti ſunt,

 ubi

ubi vel Judæos & Hæreticos refutabant, vel Chriſtianos doctrina inſtruebant. Quin & a Monachis in Monaſteriis ad erudiendos inſtituendoſque ſuos adhibitus fuit. *Qui per magna volumina & quæſtiones perpetuas docere ſolent, in quibus alti receſſus magnæque latebræ ſunt, non probabunt genus hoc planum & expoſitum, quod ſeſe tam facile prodit. Sed illi quidem, ſive aliter nolint, ſive aliter nequeant, numquam probabunt niſi ſua. Ego in vos unos tota vita oculos conjiciam, quibus Deorum immortalium providentia litterarum noſtrarum judicia commiſſa ſunt.*

EX PATAVINA ACADEMIA

KALENDIS MAJIS MDCCXXIX.

# AD LECTOREM.

QUicumque in eo a nobis diſſentiunt, ut Ariſtotelis Logicam minime probent; in eo certe quidem diſſentire non debent, ut ejus diſcendæ conſuetudini non nihil concedatur. Noſtri homines numquam in publicum prodire ſolent, gravius aliquid ſuſcepturi, quin femoralia quædam ſibi circumdent, ſuperne criſpata, inferne aperta, quæ neque hieme frigus arceant, neque æſtate calorem: atque iis quidem ita oculos aſſuefecimus, ut quamvis plus incommodi, quam commodi ferant; attamen neſcio quid auctoritatis ac dignitatis habere videantur, haud temere violandæ. Siquid eſt, quod tempore & uſu ſacrari potuerit, ea profecto eſt Ariſtotelis Logica, quam qui finibus coercet, ne diſputandi libidine creſcat in immenſum, plane ſapit; qui eam prorſus tollere conatur, is quæſo de femoralibus cogitet. Accedit, quod nos in ea Civitate docemus, ubi qui velit Philoſophiæ inſignia referre, harum quoque rerum rationem reddere debet, & publicum examen ſubire. Proinde non decet in tanto diſcrimine miſeros adoleſcentes deſerere, fortunæque imparatos committere. Hinc Topica vix attingimus, quod hujus partis, ceteroquin non inutilis, nullum experimentum in noſtris exercitationibus ad ingenia judicanda comparatis fieri ſoleat. Ceterum ex his pleraque in *Rudimentis* velut adumbravimus: nunc

fuſius ſingula perſequemur. Tametſi eum tenebimus modum, ut illi ipſi, qui iſta faſtidiunt, in tanta libelli exiguitate quieſcere poſſint. Eorum potius offenſionem metuo, qui Scholaſticis ſtudiis aſſueti, & multa & ſubtilia poſtulant. His ego Scholaſtici hominis judicium oppono. Ita enim ſcribit Fonſeca lib. 8. Logic. Inſt. c. 19. *Adeo inculta ſunt, horrida, & ab uſu remota, quæ ſuperioris ætatis homines in hiſce commenti ſunt, ut niſi plurima rejiciantur, ſatius ſit, ea potius non attingere.* Quemadmodum autem nobis eam veniam petimus, ut omittere iſtiuſmodi ſcripta liceat, ita iis venia eſt concedenda, qui ſcripſerunt. Tempora ita ferebant. Cum homines iſti & ingenio valerent, & otio abundarent; nec ullum tamen præterea tenerent litterarum genus, in quo ſe jactarent, hoc tamquam orbe concluſi, meditationes meditationibus cumularunt, & in infinitas ambages abierunt. Siquis eorum volumina verſare & cognoſcere voluerit, non omnem prorſus operam perdet, ſed cani ſimilis erit, qui propter pauxillum cibi in magnis oſſibus dentes fatigat. Nobis non tantum eſt otii. Vale.

# TABULA SYNOPTICA
## HARUM INSTITUTIONUM.

## PROTHEORIA

*De Operis nomine, ratione, atque ordine.*

## *PARS I.*
## *DE PRÆDICABILIBUS EX PORPHYRIO.*

1. De Prædicabilibus in univerſum.
2. De Genere.
3. De Specie.
4. De Differentia.
5. De Proprio.
6. De Accidente.
7. De modo & ratione prædicandi.

## *PARS II.*
## *DE CATEGORIIS, SEU PRÆDICAMENTIS.*

## PROTHEORIÆ,
## *VULGO*
## ANTEPRÆDICAMENTA.

1. De Categoriis, ſeu Prædicamentis in univerſum.
2. De Subſtantia.
3. De Quantitate.
4. De Qualitate.
5. De Relatione.
6. De Actione, & Paſſione.
7. De Ubi, Quando, Situ, Habitu.

HY-

# HYPOTHEORIÆ,
## *VULGO*
# POSTPRÆDICAMENTA.
## MANTISSA
*De Platonicorum, & Stoicorum Categoriis.*

## *PARS III.*
## *DE ANALYTICIS POSTERIORIBUS.*

1. De Operis ratione & materia.
2. De Prænotionibus demonſtrationis Ariſtotelicæ.
3. De Platonis, Epicuri, & Stoicorum Prænotionibus.
4. De Principiis.
5. De modo cognoſcendi Principia.
6. De Præjudiciis.
7. De Dubitatione.
8. De Auctoritate.
9. De Demonſtrationis natura & ratione.
10. De Demonſtrationis neceſſitate, ejuſque gradibus.
11. De reliquis Demonſtrationis conditionibus.
12. De Demonſtrationis exemplis.
13. De Demonſtrationis formis.
14. De Demonſtratione in orbem.
15. De Signis, quibus fit Demonſtratio a poſteriori.
16. De Demonſtrationis effectu, ideſt ſcientia.
17. De veterum Phyſicorum, & Platonis ſcientia.
18. De Scepticorum, Academicorum, Epicureorum, & Stoicorum ſcientia.
19. De Scientiæ origine.
20. De Ignorantia.

21.

21. De Sapientia.
22. De Opinione.
23. De Sagacitate.
24. De Materia, & inſtrumento demonſtrationis.
25. De Cauſſis ad definiendum, & demonſtrandum idoneis.
26. De Definitionis natura, & partibus.
27. De Locis definitionis, quæ eſſentiam rei aperit.
28. De Locis definitionis, quæ cauſſam rei continet.
29. De iis, quæ definitionem capiunt.
30. De Quæſtionibus.

### *P A R S IV.*
### *DE TOPICIS.*

1. De nomine, & materia Topicorum.
2. De Syllogiſmo dialectico.
3. De Problemate.
4. De Propoſitione.
5. De locis Problematis, & Propoſitionis.
6. De loco Generis.
7. De loco Definitionis.
8. De loco Proprii.
9. De loco Accidentis.

### *P A R S V.*
### *DE ELENCHIS SOPHISTICIS.*

1. De nomine, natura, & uſu doctrinæ Sophiſticæ.
2. De Fallaciis vocum.
3. De Fallaciis rerum.
4. De fine Elenchi Sophiſtici.
5. De ſolutione vera, & fucata Elenchi Sophiſtici.
6. De Inexplicabilibus.

# NOI RIFORMATORI

## DELLO STUDIO DI PADOVA.

AVendo veduto per la Fede di Reviſione, ed Approvazione del P. F. Tommaſo Maria Gennari Inquiſitore nel Libro intitolato: *Jacobi Facciolati Inſtitutiones Logicæ Peripateticæ. Editio altera retractatior*, non vi eſſere coſa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Atteſtato del Segretario Noſtro, niente contro Principi, e buoni coſtumi, concediamo Licenza a *Giambatiſta Albrizzi q. Girolamo Stampatore*, che poſſa eſſere ſtampato, oſſervando gli Ordini in materia di Stampe, e preſentando le ſolite copie alle Pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 8. Maggio 1729.

( Gio: Franceſco Moroſini Kav. Rif.

( Andrea Soranzo Proc. Rif.

( Pietro Grimani Kav. Proc. Rif.

*Agoſtino Gadaldini Segr.*

# LOGICÆ PERIPATETICÆ

## *PROTHEORIA*

## DE OPERIS NOMINE, RATIONE, ATQUE ORDINE.

### *QUID INTELLIGIS* LOGICÆ PERIPATETICÆ *NOMINE?*

℟. EX more veterum Peripateticorum *Logicam* appello totam diſſerendi artem; quamvis Ariſtoteles ad eam ſolam partem hoc nomen adhibeat, quæ diſputat ex probabilibus. *Peripateticam* voco, ideſt Ariſtoteleam: nam qui ſunt ab Ariſtotele, *Peripatetici* dicuntur; quia olim (ut ſcribit Cicero in Academ. 1. c. 4.) diſputabant inambulantes in Lyceo. (1)

(1) Boethius in Topica Cicer. *Hæc eſt diſciplina quaſi diſſerendi quædam magiſtra, quam Logicam Peripatetici veteres appellaverunt. Hanc Cicero definiens diſſerendi diligentem rationem vocavit. Hæc vario modo a pleriſque tractata eſt, varioque etiam vocabulo nuncupata. Ut enim dictum eſt, a Peripateticis hæc ratio diligens diſſerendi Logica vocatur, continens in ſe inveniendi, judicandique peritiam. Stoici vero hanc eamdem rationem diſſerendi paullo anguſtius tractavere. Nihil enim de inventione laborantes, in ſola tantum judicatione conſiſtunt; de eoque præcepta multipliciter dantes, Dialecticam nuncupaverunt. Plato etiam Dialecticam vocat facultatem, quæ id, quod unum eſt, poſſit in plura partiri, velut ſolet genus per proprias differentias uſque ad ultimas ſpecies ſeparare; atque ea, quæ multa ſunt, in unum genus ratione colligere.*

Quinque Dialecticæ ſuæ partes Plato fecit, definitionem, diviſionem, reſolutionem, inductionem, ratiocinationem; de quibus vide Alcinoum de doctr. Plat. ca. 5.

*Qua in re Logica Peripatetica verſatur?*

℞. Campus, in quo Logica Peripatetica verſatur, eſt oratio quævis, per quam quæritur, quid de quo dicatur; uno verbo, quæſtio omnis. Et quia in quæſtione eſt *ſubjectum* de quo quæritur, & *prædicatum* quod quæritur, de utroque Logicus præcipit. Ex. g. cum quæro, num *anima ſit immortalis*, dubito, num primæ voci ultima conveniat, ideſt num *immortalitas* de *anima* dici poſſit. Utraque igitur vox eſt cognoſcenda. (2)

*Quænam pars verſatur in* ſubjecto,
*quænam in* prædicato?

℞. *Subjectum* eſt res omnis; quia de re omni quæri aliquid poteſt: ideoque de ſubjecto agitur in *Categoriis*, quæ omnia rerum genera, per ſimplices notiones diſtributa, complectuntur. *Prædicatum* ad *Topica* pertinet, quæ locos aperiunt inveniendi, quidquid de re aliqua dici poteſt. Topicis accedunt *Analytica*, & *Sophiſtica*, in quibus oſtenditur, quomodo prædicata dijudicentur, & ad fidem vel bene, vel male faciendam accommodentur. Igitur a Categoriis incipere debemus, quæ erit Pars Prima harum Inſtitutionum. (3)

(2) Res, de quibus, & per quas in controverſia qualibet diſputamus, ſunt propriæ ejus artis ac diſciplinæ, cujus eſt controverſia ipſa; modus autem & ratio diſputandi pertinet ad Logicam. Itaque Phyſici eſt oſtendere, num *animæ* conveniat *immortalitas*: at Logici eſt præſcribere, qua via inveniri & conſtrui argumenta poſſint ad recte oſtendendum, fidemque parandam.

(3) Quidquid eſt, de quo quæri, aut pronunciari aliquid

### *Cur Categoriis præmittitur Porphyrii commentariolum de Prædicabilibus?*

℞. *Prædicabilia* cum ſint aliud nihil, quam modi prædicandi, recte ab Ariſtotele explicantur in Topicis, ideſt in ea Logicæ parte, quæ prædicata complectitur. Attamen nos ab his exordimur, tum ſcholarum conſuetudine ducti, tum etiam ratione aliqua, ut mox apparebit. (4)

quid poſſit, eſt unum aliquid ex *prædicamentis*: quidquid eſt, quod quæri, aut pronunciari de re aliqua poſſit, eſt unum aliquid ex *prædicabilibus*.

(4) Porphyrius libellum ſcripſit de Prædicabilibus, cujus variæ feruntur inſcriptiones; ſed illa maxime Criticis probatur tamquam genuina, εἰσαγωγὴ πρὸς χρυσαόριον, *introductio ad Chryſaorium*. Hujus enim gratia ſcripta eſt, ut mox dicemus.

Audivit Porphyrius Longinum & Plotinum; floruitque Romæ ſæculo Chriſti tertio; ſed impietatis fama laboravit. Vitam ejus ſcripſit Lucas Holſtenius, quam vide in Græca Fabricii Bibliotheca lib. 4. cap. 27.

# PARS PRIMA.

## *DE PRÆDICABILIBUS EX PORPHYRIO.*

## *CAPUT PRIMUM.*

## DE PRÆDICABILIBUS IN UNIVERSUM.

### *QUID EST PRÆDICABILE?*

℟. PRædicabile eſt, quod poteſt prædicari, hoc eſt, dici & enunciari de aliquo. Quo nomine ſignificantur communes quædam notiones & vocabula, quibus res quælibet continetur, & per ſuas partes explicatur; velut in Socrate prædicabilia ſunt, *eſſe animal*, *eſſe rationalem*, *eſſe hominem*, *eſſe ridendi & philoſophandi capacem*. Siquidem hæc de illo dicuntur, & ad ejus naturam aperiendam adhibentur. (1)

*Quot ſunt Prædicabilia?*

℟. Quinque ſunt Prædicabilia, *genus*, *ſpecies*, *differentia*, *proprium*, & *accidens*: cujus numeri ea ratio eſt, quam attulimus in Rudimentis Syntagm. 3. Par. 1. c. 3. (2)

*Qui-*

(1) Prædicabilia Stoici conſiderant, ut ſunt in rebus; ideoque νοήματα vocant, ideſt *notiones*. Peripatetici ea conſiderant, ut de rebus dicuntur; ideoque appellant κατηγορούμενα, *prædicata*. Philoponus vocat ἁπλᾶς φωνὰς, *ſimplices voces*: Græci alii πέντε φωνὰς, *quinque voces*.

(2) Quidam rem ita explicant: Prædicabile eſt notio uni-

*Quinam eſt Predicabilium uſus?*

℟. Magnus eſt Prædicabilium uſus in definiendo, dividendo, & argumentando. Sed ea præſertim *Categoriis* inſerviunt; atque adeo in harum gratiam ſcripta ſunt a Porphyrio, ut apparet ex ejus Præfatione. Cum enim Chryſaorius Patricius Romanus in Ariſtotelis *Categorias* incidiſſet, nec eas poſſet facile intelligere; obtinuit a Porphyrio præceptore ſuo, ut hanc ſibi *Introductionem* componeret, collectis velut in unum corpus, quæ in tota Ariſtotelis Logica, maxime vero in Topicis & Metaphyſicis diſperſa ſunt. (3)

*Prædicabilia quomodo differunt a Prædicamentis?*

℟. Categoriæ vulgo appellantur *Prædicamenta*. Differunt autem a *Prædicabilibus*, quia *Prædicabilia* ſunt modi prædicandi; *Prædicamenta* ſunt res, quæ prædicantur. Itaque *Prædicabilia* ſunt ſecundæ notiones, per quas ſignificantur, & explicantur primæ; primæ autem ſunt ipſa *Prædicamenta*.



univerſalis, quæ convenit multis: convenire autem poteſt vel ut aliquid *inſitum*, vel ut aliquid *aſſumtum*. *Inſita* ſunt *Genus*, *Differentia*, *Species*, *Proprium*. *Aſſumtum* eſt *Accidens*, quia extrinſecus advenit. Alii hoc modo: Quidquid eſt prædicabile, vel prædicatur *in quid ut pars*: & eſt *Genus*; vel *in quid ut totum*, & eſt *Species*; vel *in quale per eſſentiam*, & eſt *Differentia*; vel *in quale neceſſario*, & eſt *Proprium*; vel *in quale fortuito*, & eſt *Accidens*. Duas has rationes oppugnat Voſſius de natura Logicæ cap. 10. n. 19. Sed iſtiuſmodi pugnæ numquam exitum invenient.

(3) Totam prædicabilium doctrinam ex Platonis dictis collegiſſe Porphyrium, Amonius ſcribit. Fuit ille quidem philoſophus Platonicus; ſed in hoc opuſculo, ut

# PARS PRIMA.

## DE PRÆDICABILIBUS EX PORPHYRIO.

## CAPUT PRIMUM.

### DE PRÆDICABILIBUS IN UNIVERSUM.

*QUID EST PRÆDICABILE?*

℟. Prædicabile eſt, quod poteſt prædicari, hoc eſt, dici & enunciari de aliquo. Quo nomine ſignificantur communes quædam notiones & vocabula, quibus res quælibet continetur, & per ſuas partes explicatur; velut in Socrate prædicabilia ſunt, *eſſe animal*, *eſſe rationalem*, *eſſe hominem*, *eſſe ridendi & philoſophandi capacem*. Siquidem hæc de illo dicuntur, & ad ejus naturam aperiendam adhibentur. (1)

*Quot ſunt Prædicabilia?*

℟. Quinque ſunt Prædicabilia, *genus*, *ſpecies*, *differentia*, *proprium*, *& accidens*: cujus numeri ea ratio eſt, quam attulimus in Rudimentis Syntagm. 3. Par. 1. c. 3. (2)

*Qui-*

(1) Prædicabilia Stoici conſiderant, ut ſunt in rebus; ideoque *νοήματα* vocant, ideſt *notiones*. Peripatetici ea conſiderant, ut de rebus dicuntur; ideoque appellant *κατηγορούμενα*, *prædicata*. Philoponus vocat *ἁπλὰς φωνὰς*, *ſimplices voces*: Græci alii *πέντε φωνὰς*, *quinque voces*.

(2) Quidam rem ita explicant: Prædicabile eſt notio uni-

*Quinam eſt Prædicabilium uſus?*

℞. Magnus eſt Prædicabilium uſus in definiendo, dividendo, & argumentando. Sed ea præſertim *Categoriis* inſerviunt; atque adeo in harum gratiam ſcripta ſunt a Porphyrio, ut apparet ex ejus Præfatione. Cum enim Chryſaorius Patricius Romanus in Ariſtotelis *Categorias* incidiſſet, nec eas poſſet facile intelligere; obtinuit a Porphyrio præceptore ſuo, ut hanc ſibi *Introductionem* componeret, collectis velut in unum corpus, quæ in tota Ariſtotelis Logica, maxime vero in Topicis & Metaphyſicis diſperſa ſunt. ( 3 )

*Prædicabilia quomodo differunt a Prædicamentis?*

℞. Categoriæ vulgo appellantur *Prædicamenta*. Differunt autem a *Prædicabilibus*, quia *Prædicabilia* ſunt modi prædicandi; *Prædicamenta* ſunt res, quæ prædicantur. Itaque *Prædicabilia* ſunt ſecundæ notiones, per quas ſignificantur, & explicantur primæ; primæ autem ſunt ipſa *Prædicamenta*.



univerſalis, quæ convenit multis: convenire autem poteſt vel ut aliquid *inſitum*, vel ut aliquid *aſſumtum*. *Inſita* ſunt *Genus*, *Differentia*, *Species*, *Proprium*. *Aſſumtum* eſt *Accidens*, quia extrinſecus advenit. Alii hoc modo: Quidquid eſt prædicabile, vel prædicatur *in quid ut pars*: & eſt *Genus*; vel *in quid ut totum*, & eſt *Species*; vel *in quale per eſſentiam*, & eſt *Differentia*; vel *in quale neceſſario*, & eſt *Proprium*; vel *in quale fortuito*, & eſt *Accidens*. Duas has rationes oppugnat Voſſius de natura Logicæ cap. 10. n. 19. Sed iſtiuſmodi pugnæ numquam exitum invenient.

( 3 ) Totam prædicabilium doctrinam ex Platonis dictis collegiſſe Porphyrium, Amonius ſcribit. Fuit ille quidem philoſophus Platonicus; ſed in hoc opuſculo, ut

*Prædicabilia nonne dicuntur* univerſalia?

℞. Ita appellantur, quia ſunt communia multis, & late patent. Nam *genus* dicitur de multis ſpeciebus; *ſpecies* de multis individuis; *differentia*, & *proprium* de illis omnibus, de quibus dicitur *ſpecies*; *accidens* de multis rebus, quibus ineſt. (4)

*Suntne omnia æque* univerſalia?

℞. Singula enunciantur de multis, ut modo diximus; ideoque dici debent univerſalia. In hoc enim ſita eſt natura univerſalis, ut una cum ſit, multis tribui poſſit. Ceterum ſingula tribuuntur diverſo modo: & hic modus conſtituit eorum diſcrimen. Ita prorſus ut circulus, & quadratum conveniunt in eo, quod ſint figuræ; ſed differunt modo, quia alterius figura eſt rotunda, alterius quadrata.

*Quid eſt univerſale?*

℞. Quid ſit univerſale, & quomodo formetur, diximus in Rudimentis Syntagm. 3. Par. 1. c. 2. In ſcholis quadrifariam dividi ſolet. Primum dicitur univerſale *effectione*, & ſunt ideæ archetypæ, per quas efficitur, quidquid efficitur. Secundum *repræſentatione*, & eſt notio communis, quæ multa repræſentat; tertium *ſignificatione*, & eſt nomen commune, quod mul-

mihi videtur, magis Ariſtotelem, quam Platonem ſecutus eſt. Quamquam in eo certe Platonicus eſt, quod Dialecticam a Metaphyſica non diſtrahit, ſed ſua hæc univerſalia modo definit per id, quod eſt, modo per id, quod prædicatur, modo per utrumque.

(4) Vocabulum *univerſale* valde diſplicet cultioribus Logicis, non tam ipſum per ſe, quam quod nimis multa & abſtruſa de illo Scholaſtici ſcriptitarunt. Acerrime oppugnatur a Nizolio in lib. 1. de veris principiis, cap. 7. 8. & 9.

multa ſignificat; quartum *eſſentia*, & *prædicatione*, & eſt natura communis, quæ ineſt in multis, & de multis dicitur. Exemplum ſecundi, tertii, & quarti univerſalis poteſt eſſe *animal*; quod quidem, ut *notio* univerſalis, multa repræſentat; ut *vox* univerſalis, multa ſignificat; ut *natura* univerſalis, in multis eſt; ut *attributio* univerſalis, de multis prædicatur. Primum dicitur univerſale *Platonicum*, ſecundum *Stoicum* & *Epicureum*, tertium *Nominale*, quartum *Peripateticum*. Nam Plato per ideas archetypas philoſophatur; Stoici & Epicurei per communes notiones; Nominales per nomina communia; Peripatetici per id, quod in multis eſt, & de multis prædicatur. (5)

*Quid eſt igitur univerſale Peripateticum?*

℟. Univerſale Peripateticum nihil eſt aliud, quam communis quædam notio, ex multarum rerum ſimilitudine collecta, & in unam formam efficta. Vulgo definitur *Unum aptum ineſſe multis ſecundum eamdem rationem:* vel *unum aptum prædicari de multis*. (6) Prima definitio eſt *Metaphyſica*, quia Metaphyſica conſiderat eſſentiam rerum; ſecunda *Logica*, quia Logica conſiderat prædicandi modum. (7)

B 2 Cur

(5) Ideæ archetypæ ſunt univerſalia quædam rerum ſimulacra & exemplaria, per quæ Plato omnia fieri putabat, & omnia cognoſci; de quibus poſtea dicemus.

(6) Univerſale dicitur *unum*, ideſt natura quædam ſimplex; quæ de multis quidem ſingularibus prædicatur, & in multis eſt, ſed concipitur per modum *unius*, *unitate* quadem eſſentiæ, non numeri, ut Scholaſtici loquuntur.

(7) Diſtinctio hæc non habet locum apud Platonicos: quia Plato eam partem Metaphyſici ſtudii, quam noſtri Ontologiam dicunt, Dialecticæ nomine nuncupat, ut apparet ex lib. 7. de Rep. ex *Politico*, & ex *Parmenide*.

*Cur Logici non diſputant potius de ſingulari, quam de univerſali?*

℞. Quia compendia laboris quærunt. Itaque cum ſingularia ſint innumera, res omnes in claſſes univerſales conjiciunt pro varia earum natura & cognatione: quas claſſes poſtea contemplantur, & quæcumque in illis cognoſcunt, ad ſingularia ejuſdem rationis, cum opus eſt, facile transferunt. Ita qui naturam hominis univerſe cognoſcit, ſingulos homines cognoſcit. (8)

*Quid ſunt Platonis ideæ?*

℞. Rem magnam petis, ſed loco petis. Cum Plato ea tantum vere ac proprie eſſe exiſtimaret, quæ a ſenſu remota, animo & ratione continentur; quippe quæ nec oriuntur, nec intereunt, ut ſenſibilia ſolent; cum hæc, inquam, ſola eſſe exiſtimaret, ideas poſuit, ideſt ſimulacra quædam & ſpe-

Hinc ex Platonis doctrina Clemens Alexandrinus l. 1. Strom. c. 28. *Dialectica eſt facultas, quæ res in ſua genera dividit, deſcendens uſque ad maxime peculiaria, & unamquamque rem puram, ut eſt in ſe, intuendam exhibens. Quocirca ea ſola veluti manuducit ad ſapientiam, quæ divina quædam facultas eſt, entia cognoſcens, quatenus entia ſunt.* Adde Alcinoum de doctrina Platonis c. 5. & Plotinum Ennead. 1. l. 3. c. 4. cujus hic titulus eſt ex editione Ficini: *Dialectica, ideſt Metaphyſica, totam entium latitudinem contemplatur*, &c.

(8) Qui ſubtilius philoſophantur, ajunt ſola univerſalia proprie eſſe, quia ſunt immutabilia; ideoque ea ſola ſciri. Ex hoc philoſophiæ genere ſcribit Pindarus Nemeor. od. 6. *Homines nihil eſſe*. Vide quæ ſequuntur de ideis Platonicis, & Sex. Empiricum lib. 2. adverſus Logic. c. 1. n. 7.

ſpecies rerum omnium : quas ſpecies mentibus hominum ex divinitate delibatis inſitas dixit. (9) In quo Platonis ideæ ſimiles ſunt notionibus & formis, quas Peripatetici & Epicurei per impulſionem rerum externarum in animo gigni dicunt. Nam ex horum Philoſophorum doctrina per has formas & notiones de rebus omnibus judicamus, & alias ab aliis diſtinguimus.

*Nonne ideas quaſdam poſuit a rebus omnibus ſeparatas?*

℟. Poſuit enimvero ideas quaſdam per ſe conſtantes, & a rebus omnibus ſeparatas, ex quibus ideæ aliæ ſunt expreſſæ, quas nos animo complectimur. Et quemadmodum per illas & ad illas omnia gignuntur & formantur; ita per has omnia a nobis cognoſcuntur. Sed ideas ſeparatas Ariſtoteles labefactavit. (10)



(9) In has quoque ideas videntur Ciceronis verba convenire, quæ hic apponam; quamquam magis proprie ad ſeparatas pertinent. In Orator. c. 3. *Has verum formas appellat ideas ille non intelligendi ſolum, ſed etiam dicendi graviſſimus auctor & magiſter Plato: eaſque gigni negat, & ait ſemper eſſe, ac ratione & intelligentia contineri: cetera naſci, occidere, fluere, labi; nec diutius eſſe uno & eodem ſtatu.*

(10) Seneca epiſt. 58. *Tertium genus eſt eorum, quæ proprie ſunt. Innumerabilia hæc ſunt, ſed extra noſtrum poſita conſpectum. Quæ ſint, interrogas? Propria Platoni ſupellex eſt. Ideas vocat, ex quibus omnia, quæcumque videmus, fiunt; & ad quas cuncta formantur. Hæ immortales, immutabiles, inviolabiles ſunt. Quid ſit idea, ideſt quid Platoni eſſe videatur, audi: Idea eſt eorum, quæ natura fiunt,*

*Nonne etiam in mente divina eas poſuit?*

℟. Poſuit formas iſtas in mente divina, tamquam in fonte ſuo, ut eſſent illi exemplaria rerum omnium condendarum. (11)

*Nihilne inſuper de univerſalibus doces?*

℟. Nihil aliud neceſſarium duco, atque adeo ne utile quidem niſi otioſis ad fallendum tempus. Qui plura cupit, Scholaſticos adeat, qui hac in parte copioſiſſimi ſunt, *eas quoque quæſtiones* (ut ſcribit Canus de loc. Theol. l. 9. c. 7.) *latiſſime perſequentes, quibus Porphyrius abſtinuit, homo impius, ſed in hac re prudens tamen, ut Platonis Ariſtoteliſque diſcipulum cognoſcere poſſis.*

C A-

*exemplar æternum*. Adde ejuſdem epiſt. 65. & Tertullianum de anim. cap. 18. *Vult Plato eſſe quaſdam ſubſtantias inviſibiles, incorporeas, ſupermundiales, divinas, & æternas; quas appellat ideas.*

(11) Vide Plutarchum de Placitis Philoſoph. l. 1. c. 3 Auctorem Operis de divin. nominibus, & Platonem ipſum in Hippia.

# C A P U T II.

## DE GENERE.

### *QUID EST GENUS?*

℟. GEnus eſt notio maxime communis, quæ alias notiones minus communes ab ſe propagatas comprehendit, deque illis enunciatur. A Porphyrio dicitur *notio univerſalis, quæ de pluribus prædicatur ſpecie differentibus, cum, quid ſint, quæritur.* ex. gr. Animal, hominis & equi genus eſt, quia notionem utrique communem deſignat; & afferri ſolet ab eo, qui reſpondet interroganti, quid homo, quid equus ſit. (1)



(1) Cicero lib. 1. de Orat. c. 42. *Genus id eſt, quod ſui ſimiles communione quadam, ſpecie autem differentes, duas pluresve complectitur partes.* Idem in Topic. c. 7. *Genus eſt notio ad plures differentias pertinens.* Seneca ep. 58. *Homo ſpecies eſt, ut Ariſtoteles ait, equus ſpecies eſt, canis ſpecies; ergo commune aliquod quærendum eſt his omnibus vinculum, quod illa complectatur, & ſub ſe habeat. Hoc quid eſt? Animal. Ergo genus eſſe cœpit omnium horum, quæ modo retuli, Animal. Sed ſunt quædam, quæ animam habent, nec ſunt animalia. Placet enim ſatis & arbuſtis animam ineſſe: itaque & vivere illa & mori dicimus. Quædam anima carent, ut ſaxa: itaque aliquid erit animantibus antiquius, ſcilicet corpus. Hoc ſic dividam, ut dicam, corpora omnia aut animata eſſe, aut inanimantia. Etiamnum eſt aliquid ſuperius, quam corpus; dicimus enim quædam corporalia eſſe, quædam incorporalia. Quid ergo erit, ex quo deducantur hæc? Illud cui nomen modo parum proprium impo-*

Digitized by Google

*Eſtne plena & perfecta generis definitio modo tradita?*

℟. Eſt ſane. Nam complectitur partem generis communem & propriam. Quatenus enim dicitur *notio univerſalis, quæ de pluribus enunciatur*, convenit cum aliis Prædicabilibus: per reliqua verba ab iis diſſert. Nam *ſpecies* quidem prædicatur de pluribus diſſerentibus numero: *differentia*, *proprium*, & *accidens* prædicantur in *quale*, ut Scholaſtici loquuntur, ideſt cum, *qualis* res ſit, quæritur. (2)

*Quid ſignificat* differre ſpecie?

℟. Ea *ſpecie differunt*, quæ ſub eodem genere collocantur, & in eo conveniunt, ſed tamen eſſentia & definitione diſcrepant; ut *homo*, & *equus*. Hic porro *eſſentia* dicitur, quodcumque ſit illud, unde eſt inſigne rei diſcrimen, & propria cujuſque definitio. Ea vero *differunt numero*, quæ ſunt indi-

*ſuimus*, QUOD EST. Vide Arborem Porphyrianam in Rudimentis Syntagm. 3. P. 1. c. 3.

(2) Plerique Scholaſtici in definitione generis collocant adverbium *incomplete*, quod genus non comprehendat totam naturam, de qua enunciatur. Nam *animal* ex. grat. totum hominem non comprehendit. Sed fruſtra laborant. Cum enim genus dicitur prædicari de *pluribus ſpecie differentibus*, ſatis dicitur ad ejus imperfectionem ſignificandam. Neque vero de *pluribus ſpecie differentibus* enunciari poſſet, ſi naturam aliquam totam complecteretur: Ex. gr. *animal* de equo dici non poſſet, ſi totam hominis naturam contineret.

dividua ejuſdem ſpeciei; & per ea diſcrepant, quæ numerum quidem variant, ſed eſſentiam & definitionem non variant, ut *Petrus* & *Paulus*. ( 3 )

*Quid eſt prædicari* in quid *&* in quale?

℟. Quidam Prædicabilia per has formulas definiunt. Ajunt autem, genus & ſpeciem predicari *in quid*, reliqua *in quale*. Ratio eorum eſt ab ipſis Porphyrii verbis ſumta. Nam ſciſcitanti ex. gr. quid ſit *Petrus*, reſpondemus per ſpeciem *homo*. Rurſus urgenti, *quid* ſit *homo*, reſpondemus per genus *animal*. Tum quærenti, *quale animal* ſit, reſpondemus per differentiam, vel per proprium, vel per accidens, v. g. eſt *rationale*, eſt *riſibile*, eſt *album*. ( 4 )

*Quotuplex eſt genus?*

℟. Duplex, *ſummum*, & *medium*. Ac *ſummum* quidem occupat faſtigium, nullique ſubjicitur; ut *Subſtantia* in arbore Porphyriana. *Medium*, ſeu *interjectum*, ut alii appellant, ita eſt genus, ut poſſit eſſe ſpecies. Nam cum medium locum teneat, ſi cum ſuperiori comparetur, eſt ſpecies; ſi cum inferiori, eſt

( 3 ) Etiam genus prædicatur de pluribus differentibus numero, cum quilibet homo poſſit dici animal: ſed hæc eſt prædicatio remota, cujus ratio haberi non debet. Neceſſe eſt enim gradatim progredi, ut dictum eſt in Rudimentis ad regulas diviſionis.

( 4 ) Quidam ajunt, differentiam prædicari in *quale quid*, quod in Græco Porphyrii ſit *ἐν τῷ ὁποῖον τί ἐστι*: ſed Græca particula *τί* additur ad elegantiam, non ad diſcrimen aliquod ſignificandum. Quare Porphyrius eadem formula utitur, tum loquens de accidenti, tum loquens de differentia in cap. 2. de Genere.

eſt genus. Hujuſmodi eſt *corpus*, *vivens*, *animal*. Poſtremum hoc, quia ſpeciem proxime attingit, appellatur etiam genus ultimum. (5)

Rurſus genus vel eſt *remotum*, vel *proximum*. Genus *proximum* eſt, quod proxime adhæret ſpeciei, ut *animal*, quod ſtatim conſequitur *homo*: *remotum*, quod longius abeſt, nec ſpeciem attingit, niſi per aliud genus, ut *ſubſtantia*, *corpus*, *vivens*, quæ per *animal* attingunt *hominem*. (6)

*Eſtne aliquid ſupra genus ſummum?*

℟. Sunt quædam vocabula, quæ *vaga* & *tranſcendentia* dicuntur; quod genus quodlibet exſuperent in omni Categoria. Hujuſmodi ſunt *ens*, *aliquid*, *res*, *unum*, *verum*, *bonum*. Nam ex. gr. & ſubſtantia eſt aliquid, & qualitas, & quantitas &c.

CA-

(5) Vulgo Scholaſtici dicunt *Genus generaliſſimum*, *ſubalternum*, *& ſpecialiſſimum*. Verba ſibi formarunt ex hoc Laertii loco: γενικώτατον ἐστιν, ὁ γένος ὄν, γένος οὐκ ἔχει. εἰδικώτατον δὲ ἐστὶν, ὁ εἶδος ὄν, εἶδος οὐκ ἔχει. Seneca ep. 58. QUOD EST, *aut corporale eſt, aut incorporale. Hoc ergo genus eſt primum & antiquiſſimum, &, ut ita dicam, generale: cetera genera quidem ſunt, ſed ſpecialia*. Loquitur ex doctrina Stoicorum.

(6) Latini ſcriptores ſæpe utuntur voce *generis* pro *ſpecie*. Ita Cicero 2. de Fin. c. 9 *Tria genera cupiditatum*. In 5. Tuſcul. c. 13. *Natura quidquid genuit, in ſuo quodque genere perfectum eſſe voluit* In 1. de Leg. c. 7. *Ex tot animantium generibus atque naturis*. Ita de offic. *Juſtitiæ genera duo*; *genera quatuor officii*; *duplex jocorum genus*, &c. Nam quidquid habet rationem univerſalis multa comprehendentis, etiam ab Ariſtotele in Topicis *genus* dicitur.

# CAPUT III

## DE SPECIE.

### *QUID EST SPECIES?*

℟. Species, quo ſenſu a Dialecticis accipitur, tribus modis definiri poſſe videtur ex Porphyrii doctrina. Primo *ſpecies eſt id, quod generi ſubjicitur*; cujuſmodi eſt *homo*, qui ſubjicitur *animali*. Secundo *ſpecies eſt id, de quo genus reſpondetur ſciſcitanti, quid ſit:* nam ſciſcitanti, *quid ſit homo*, reſpondetur *animal*. Tertio *ſpecies eſt univerſalis notio, quæ de pluribus dicitur numero differentibus; cum, quid res ſit, quæritur*; ut *homo*, qui enunciatur de Petro, de Paulo, & aliis humanæ naturæ individuis. Duæ priores definitiones ſpeciebus omnibus conveniunt tum mediis, tum infimis; tertia infimis tantum, quæ individua attingunt. (1)

*Quid*

(1) Cicero in voce *ſpecies* duos caſus non probat, *ſpecierum*, & *ſpeciebus*. Itaque in Topic. c. 7. *Noſtri* (inquit) *ſpecies appellant, non peſſime id quidem, ſed inutiliter ad mutandos caſus in dicendo. Nolim enim, ne ſi Latine quidem dici poſſit, ſpecierum & ſpeciebus dicere; & ſæpe his caſibus utendum eſt: at formis & formarum velim. Cum autem utroque verbo idem ſignificetur, commoditatem in dicendo non arbitror negligendam*. Speciem definit ibidem: *Forma eſt notio, cujus differentia ad Caput generis & quaſi fontem ref rri poteſt*. Et paullo poſt: *Formæ ſunt hæ, in quas genus ſine ullius præter-*

### *Quid eſt ſpecies* media *&* infima?

℞. Species *media* idem eſt ac genus *medium*, ſeu *interjectum*, de quo in ſuperiori capite dictum eſt; videlicet quæ ita eſt ſpecies, ut poſſit eſſe genus. Nam ſi comparetur cum ſuperiori, ſpecies eſt; ſi cum inferiori, eſt genus. Ex. gr. *Animal*, ſi referatur ad *corpus*, ſpecies eſt; ſi ad *hominem*, eſt genus. Species *infima* ita eſt ſpecies, ut non poſſit eſſe genus: proxime enim attingit individua, ut *homo*; ac proinde neceſſario prædicatur de pluribus differentibus numero. (2)

### *Quid ſignificat* prædicari de pluribus differentibus numero?

℞. Significat, ſpeciem eſſe nomen commune pluribus individuis, quæ ſolo numero differunt. Ex. gr. *homo* communis appellatio eſt Socratis, Democriti, Platonis, & aliorum; qui ſcilicet eamdem hominis rationem habent, & homines æque dicuntur, ſed per quaſdam individuas prie-

*termiſſione dividitur*. Nam ex. gr. prudentia, juſtitia, temperantia, fortitudo dicuntur eſſe *ſpecies* virtutis; quia virtus, quod *genus* eſt, in eas dividitur.

(2) Species *infima* a Græcis dicitur εἶδος εἰδικώτατον, a Scholaſticis *ſpecies ſpecialiſſima*. Hæc una vere ac proprie ſpecies eſt: nam *media* quidem non eſt hujuſmodi, niſi comparatione quadam. Igitur notio quælibet communis, quæ continet alias communes, proprie *genus* eſt; notio communis, quæ continet alias ſingulares, proprie eſt *ſpecies*.

prietates numerum diverſum faciunt. Et quia, ſi ab iis hominis rationem tollas, non ſimplicem affectionem tollis, ſed eſſentiam ipſam & naturam; ex hoc fit, ut quæſtio inſtituatur per *quid*, non per *quale*, quoties de ſpecie quærimus, *quid eſt Socrates? quid Democritus?* &c. (3)

*Quid eſt individuum?*

℟. Individuum, ut ex nomine ipſo patet, eſt id, quod in plura talia, quale ipſum eſt, dividi nequit, ut *Petrus*, qui dividi non poteſt in plures *Petros*. Bifariam definiri poſſe videtur. Primo *individuum eſt id, quod de uno tantum enunciatur*. Secundo *individuum eſt id, quod proprietatibus quibuſdam conſtat, quæ omnes eædem convenire alii nullo modo poſſunt*. Proprietates iſtæ carmine comprehenduntur memoriæ cauſſa: *Forma, figura, locus, ſtirps, nomen, patria, tempus*. (4)

*Quotuplex eſt individuum?*

℟. Triplex: *definitum*, quod exprimitur nomine proprio, vel demonſtratur per pronomen *hic*, ut *Petrus*, *hic homo*: *vagum*, quod effertur per nomen particulare Syncategorematicum, ut *quidam homo*:

(3) Scholaſtici ajunt, quæſtionem ſpeciei fieri per *quid*, quia ſpecies conſtituitur per prædicata *eſſentialia*; quod eodem recidit.

(4) Per has deſcribitur Cacus ab Ovidio Faſtor. l.1.verſ.551.

*Cacus Aventinæ timor atque infamia ſilvæ,*
*Non leve finitimis hoſpitibuſque malum.*
*Dira viro facies, vires pro corpore, corpus*
*Grande; pater monſtri Mulciber hujus erat.*

*homo* : *ex hypotheſi* , *per antonomaſiam* , aut *per periphraſim* , ut cum ſingulare aliquid certis ſignis deſcribitur; ex. gr. cum dico *Romanæ eloquentiæ principem* , *Filium Sophroniſci* , & ſimilia , quæ certas perſonas deſignant . ( 5 )

*Quid eſt, quod efficit rem aliquam ſingularem & individuam ?*

℟. Ejus exiſtentia . Sola enim ſingularia & individua exiſtunt . Itaque cujuslibet rei exiſtentia dici poteſt *individuationis principium* , ut ſcholarum verbis utamur . Proprietates porro illæ , quas paullo ante memoravimus, individuum non faciunt, ſed manifeſtant . Hinc collige , quidquid exiſtit , eſſe individuum ; ſive per ſe , ſive per aliud exiſtat ; ſive natura , ſive arte ſit factum . Ab his porro individuis recte perceptis mens imaginem quamdam ducit , & informat , quam ſpeciem dicimus : & in hac quidem omnia conveniunt , & per hanc ſingula cognoſcuntur. ( 5 )

*Species*

( 5 ) Lib. 12. Dig. tit. 1. l. 6. *Podius libro primo de Stipulationibus nihil referre ait* , *proprio nomine res appelletur* , *an digito oſtendatur* , *an vocabulis quibuſdam demonſtretur* .

( 6 ) *Species* pro *individuo* uſurpatur a Lucretio l. 2. 364. *Nec vitulorum aliæ ſpecies* &c. Loquitur de vacca , quæ amiſſo vitulo uno , ita dolet , ut per alios curam levare non poſſit . Ceterum Individuum definitur a Volfio in Philoſ. Ration. p. 1. ſect. 2. c. 3. n. 74. *Ens omnimode determinatum* : principium autem individuationis definitur n. 75. *Omnimoda determinatio eorum* , *quę rebus inſunt* .

### *Species poteſtne conſtare uno individuo, & genus ſpecie una?*

℞. Nihil prohibet, quominus tota ſpeciei natura uno individuo comprehendatur, ex. gr. tota hominis natura ſit in *Socrate*; qui & *animal*, & *rationale* eſt. Nihil item prohibet, quominus tota generis ratio ſit in unica ſpecie, ex. gr. tota ratio *animalis* in *homine*. Neque vero neceſſe eſt, ut genus, & ſpecies de multis reipſa enuncientur: ſatis eſt, ſi enunciari poſſint. Ratio ſiquidem univerſalis & prædicabilis non in actu, ſed in poteſtate poſita eſt.

### *Quid docent Scholaſtici de ſpecie* ſubjicibili, & prædicabili?

℞. Quia ſpecies ſubjicitur generi, & præeſt individuis, de quibus enunciatur, illam duplici nomine appellare, ac diſtinguere ſolent; nam ut ſpecies ſubeſt generi, vocant *ſubjicibilem*; ut præeſt individuis, appellant *prædicabilem*. Primo modo non eſt quid univerſale, quia reſpicit unum tantum, cui ſubjicitur; & habet rationem partis: altero inter univerſalia locum habet, quia enunciatur de pluribus, & habet vim rationemque totius. (7)

*Quo-*

(7) Species prædicabilis dicitur *genus* a Seneca epiſt. 58. *Homo genus eſt. Habet enim in ſe nationum ſpecies, Græcos, Romanos, Parthos; habet ſingulos, Catonem, Ciceronem, Lucretium. Itaque quæ multa continet, in genus cadit; quæ ſub alio eſt, in ſpeciem.*

*Quomodo ſubeunt animum notiones generis, ſpeciei, & individui?*

℟. Ita prorſus. Si videam procul venientem Pamphilum, ea forma oculis oblata, continuo generis notionem in animo informat, tum ſpeciei, poſtremo individui. Primum enim *corpus* eſſe intelligo; deinde ut propius accedit, agnoſco eſſe *animal*; tum eſſe *hominem*; denique *Pamphilum*. Sed individua quidem ſenſibus; genera, & ſpecies cogitatione percipio. Itaque illa dici ſolent in ſcholis *entia naturæ*, hæc *entia rationis*. (8)

CA-

(8) Dialectici Scholaſtici tria hæc, *univerſale*, *ſecundam intentionem*, & *ens rationis* pro uno eodemque habent; idque in plura cogitata dividunt, & per varias quæſtiones agitant.

Digitized by Google

# CAPUT IV.

## DE DIFFERENTIA.

### *QUOT MODIS ACCIPITUR A PORPHYRIO DIFFERENTIA?*

℟. TRibus. Alia eſt enim differentia *communis*, alia *propria*, alia *maxime propria*. *Communis* eſt, qua res una differt ab alia, aut a ſeipſa per communem aliquam affectionem; quomodo homo ſcribens, differt a ſe ipſo, & ab alio non ſcribente. *Propria* eſt, qua unum ab alio differt per affectionem rei propriam, quomodo latrans differt a non latrante. *Maxime propria* eſt illud ipſum prædicabile, de quo diſputamus; ideſt id, quod generi junctum ſpeciem conſtituit; ex. gr. *ratio*, quæ addita *animali*, efficit *hominem*, hoc eſt animal quoddam a reliquis omnibus diſtinctum. (1)

### *In quo conveniunt differentiæ iſtæ, & in quo differunt?*

℟. In eo conveniunt, quia ſingulæ varietatem tribuunt. At multis rebus differunt. Primum differentiæ *communes*, & *propriæ* adveniunt rei jam conſtitutæ; faciuntque *alteram*, ut in ſcholis dicitur, hoc

C

(1) Per differentiam communem Tigellius dicitur ab Horatio lib. 1. ſat. 3. *impar ſibi*, quod alia alio tempore vellet, & faceret.

hoc eſt diverſam: differentia *maxime propria* rem conſtituit, facitque *aliam*, hoc eſt natura & eſſentia a rebus aliis diſcrepantem. Deinde differentia hæc vulgo *ſpecifica* appellatur, quia ſpeciem facit; illæ dicuntur *accidentales*, quia ſunt adventitiæ, nec eſſentiam attingunt. Tum differentia *maxime propria* genus in ſpecies dividit, & ad accurate definiendum valet: illæ autem ad rudes & imperfectas deſcriptiones dumtaxat appoſitæ ſunt.

*Quomodo definitur differentia maxime propria?*

℟. Multæ afferuntur a Porphyrio definitiones. Primo *differentia eſt, qua ſpecies genus excedit*. Nam per *rationale* ex. gr. quæ hominis differentia eſt, homo excedit *animal*. Secundo *differentia eſt ea pars rei, quæ ejus naturam explet, & ab aliis diſtinguit*. Tertio *differentia eſt notio univerſalis, quæ de pluribus dicitur ſpecie, vel numero differentibus, cum quæritur, qualis ſit alicujus rei eſſentia*. Hæc maxime ad rem præſentem facit. (2)

*Cur dicitur* ſpecie, vel numero differentibus?

℟. Quia differentia duplex eſt: altera ducitur a genere, altera a ſpecie. Prima, uti genus ipſum, enunciatur *de pluribus ſpecie differentibus*. Hujuſmodi eſt ex. gr. *ſenſus* in homine, per quem differt ab iis viventibus, quæ non ſentiunt. Secunda, uti ſpecies

(2) *Differentia* exprimitur per modum adjectivi; *genus*, & *ſpecies* per modum ſubſtantivi. Proinde non eſt mirum, ſi duo hæc prædicantur *in quid*, illa *in quale*.

cies ipſa, enunciatur de *pluribus numero differentibus*, ideſt de individuis. Hanc Scholaſtici appellant differentiam *ſpecificam*, illam *genericam*.

*Quomodo differentia dicitur notio univerſalis?*

℟. Dicitur univerſalis ratione individuorum, de quibus per ſpeciem enunciatur. Ceterum ſi referatur ad genus, quod dividit, vel ad ſpeciem, quam conſtituit, dici nequit univerſalis. Nam genus quidem unum quid eſt, ipſaque differentia diffuſius; ſpecies item eſt notio una, tamque diffuſa, quam differentia ipſa: univerſale autem debet eſſe aliquid late patens, quod de pluribus enuncietur ipſi ſubjectis.

*Quomodo differentia genus dividit, & ſpeciem conſtituit?*

℟. *Genus dividit* ſecando in ſpecies illi ſubjectas. Ita *rationale* ſecat *animal* in *hominem*, & *brutum*. *Speciem conſtituit*; quia differentia eſt pars rei maxime propria, quæ partem communem contrahit per modum formæ, & in certam naturam compellit. Nam genus, ex. gr. *animal*, eſt veluti materia vaga & communis, quæ per *rationem* coercetur, unde *homo* extat. (3)

C 2 dif-

(3) Cum differentia ſpeciem conſtituat, apparet cur de illis omnibus prædicetur, de quibus ſpecies; hoc eſt de pluribus differentibus numero. Prædicatur autem non per ſe, ſed per ſpeciem; quia ſola ſubſtantiva, quippe res completæ, prædicantur per ſe.

*Differentiæ, quæ genus dividunt, ſunt ne unius rationis?*

℞. Minime. Aliæ enim ſunt *diverſæ*, aliæ *oppoſitæ*. *Diverſæ* ſunt ex. gr. *rotundum*, & *planum*, quæ figuram dividunt; & quamvis inter ſe differant, non tamen pugnant. *Oppoſitæ* ſunt, quæ aliquo modo inter ſe pugnant, ut *rationale*, & *irrationale*, quæ dividunt *animal*; *ſenſus particeps*, & *ſenſus expers*, quæ dividunt *vivens*. (4)

*Sufficitne differentia una ad quamlibet ſpeciem conſtituendam, ac diſtinguendam?*

℞. Si internas rerum naturas cognoſcere poſſemus, fortaſſe in qualibet ſpecie differentiam unam deprehenderemus, per quam conſtituitur, & ab aliis rebus diſtinguitur. Sed quia hebetioris aciei ſumus, nec omnia pervadere mente poſſumus, quaſdam rerum ſpecies per unam differentiam aperimus, alias per plures. Nam ſi *circulum* definire velim, aut *triangulum*, video unam illam differentiam, per quam utriuſque natura conſtituitur: at ſi mihi *adamas* ſit deſcribendus, cogor multas ejus affectiones & proprietates congerere; quia intimam ejus naturam & ra-

(4) Quæ differentiæ a nobis *diverſæ* dicuntur, vulgo in ſcholis vocantur *diſparatæ*. Sed vox hæc illis potius tribui debet, quæ a nobis *oppoſitæ* ſunt appellatæ. Siquidem Cicero in lib. 1. de Invent. c. 28. ea utitur ad ſignificanda contradicentia; qualia ſunt *rationale*, & *non rationale*; *ſenſus particeps*, & *non particeps*.

& rationem non video, per quam ab aliis *geminis* diſtinguitur. (5)

# CAPUT V.

## DE PROPRIO.

### PROPRIUM QUOT MODIS DICITUR APUD PORPHYRIUM?

℟. QUatuor dicitur modis. Primò proprium eſt, quod *ſoli ſpeciei* accidit, ſed non *toti*; ut eſſe medicum accidit ſoli homini, neque tamen quilibet homo medicus eſt. Secundo proprium eſt e converſo, quod *toti ſpeciei* accidit, ſed non *ſoli*; ut eſſe bipedem convenit quidem omnibus hominibus, non tamen ſolis. Tertio proprium eſt, quod *ſoli*, & *toti* ſpeciei accidit, ſed non *ſemper*; ut caneſcere convenit quidem omnibus hominibus, & ſolis hominibus, non tamen quavis ætate. Quarto proprium eſt, quod *ſoli*, & *toti* ſpeciei, & *ſemper* accidit. Hoc modo convenit homini eſſe riſibile, quod ejus naturam conſequitur, tamquam proprietas neceſſaria; & cum ea reciprocatur: nam quidquid eſt ra-

 tiona-

(5) Tanta eſt differentiarum ignoratio, & vocabulorum inopia ad eas explicandas, ut interdum ſpecies ſui generis nomine appelletur. Ita Cæſar initio lib. 1. Bel. Gal. dividit *Gallos* in tres ſpecies, quarum primam appellat *Belgas*, alteram *Aquitanos*, tertiam *Gallos*, adhibito generis nomine ob inopiam proprii. Idem ſæpe accidit in Phyſicis rebus.

tionale, eſt riſibile; quidquid eſt riſibile, eſt rationale. (1)

*Quodnam ex his eſt quartum Prædicabile ad hunc locum pertinens?*

℞. Poſtremum; quod proinde definiri poteſt, *Notio univerſalis, quæ ſpeciei naturam jam conſtitutam neceſſario conſequitur, & per eam prædicatur de pluribus differentibus numero.* Diſcrepat a *differentia*, quia illa ſpeciem conſtituit; ab *accidente*, quia *accidens* rei naturam ſequitur, tamquam aliquid adventitium.

*Quodnam judicium ferendum eſt de exemplis a Porphyrio allatis?*

℞. Homines contentionum ſtudioſi cum Porphyrii doctrinam oppugnare non poſſent, in exempla ſtilum exacuerunt. Nos ne tempus ſine cauſſa teramus, dicimus exempla adhiberi ad manifeſtandam veritatem, neque opus eſſe, ut ipſa vera ſint. Qui hæc non probat, alia reponat, ſed pergat porro ſine litibus. (2)

C A-

(1) Proprium a Lucretio dicitur *Conjunctum* lib. 1. v. 452.
*Conjunctum eſt id, quod numquam ſine perniciali*
*Diſcidio potis eſt ſejungi, ſeque gregari,*
*Pondus uti ſaxis, calor ignibus, liquor aquai.*

Digitized by Google

# CAPUT VI.

## DE ACCIDENTE.

### *QUOTUPLEX EST ACCIDENS?*

℟. ANtequam Porphyrii diviſiones afferam, animadverto, accidens in toto genere ſumtum, vel eſſe *Categoricum*, vel *Prædicabile*. Illud eſt, quod Categoriam conſtituit ſubſtantiæ oppoſitam; ideoque per ſe conſiſtere nequit, ut figura, & modus quilibet. De eo diſputabitur in Categoriis. *Prædicabile* eſt attributio quædam Logica, quæ rei advenit, per eſſentiam & intimas proprietates jam conſtitutæ; ſive ſit aliquid per ſe conſiſtens, ſive non ſit; ut *veſtis*, quæ quamvis ſubſtantia ſit, alteri ta-



( 2 ) Hæc maxime referri volumus ad *facultatem ridendi*, de qua ita Lactantius in lib. de ira Dei, cap. 7. *Riſus homini proprius eſt, & tamen videmus in aliis quoque animalibus ſigna quædam lætitiæ, cum ad luſum geſtiunt, aures demulcent, rictum contrahunt, frontem ſerenant, oculos in laſciviam reſolvunt*. Hinc Lucianus in Sectar. Auction. ridet Peripateticos, qui faciunt *hominem riſibilem*, *aſinum non riſibilem*. Si quis velit aliquid exempli loco ponere, quod careat controverſia, dicat hominis *propriam* eſſe *veri inveniendi & honeſti conſervandi rationem*. Id habet Cicero offic. lib. 1. cap. 4. *In primis hominis eſt propria veri inquiſitio atque inveſtigatio*. Et paullo poſt. *Nec vero illa parva vis naturæ eſt rationiſque, quod unum hoc animal ſentit, quid ſit ordo; quid ſit, quod deceat; in factis dictiſque quis modus*.

men ſubſtantiæ adjecta, convenit illi ut accidens. Hoc igitur quintum Prædicabile dicitur, eſſe togatum, eſſe doctum, eſſe album. ( 1 )

*Quomodo definitur?*

℟. Notio univerſalis, quæ pluribus adeſſe & abeſſe poteſt, incolumi eorum natura; deque iis prædicari, ut eſſe armatum, eſſe coloratum. ( 2 )

*Accidens nonne dividitur a Porphyrio in* ſeparabile, *&* inſeparabile?

℟. Ita videlicet, niſi nos nova nomina offendunt, quæ ſunt ab interpretibus. Sed nomine accidentis *inſeparabilis* id intelligit Porphyrius, quod reipſa ſeparari nequit; per mentem tamen ſeparatur, quoties cogitamus, adventitium quid eſſe, reique naturam ſine illo conſiſtere. Hujuſmodi eſt color niger in corvo, albus in cycno. ( 3 )

*Nonne hoc modo etiam Proprium ſeparatur?*

℟. Proprium ſeparari cogitando poteſt, non tamen negari de ea re, cujus eſt proprium. Si enim negaretur, periret ejus eſſentia, cum qua reciprocatur. At accidens & ſeparari, & negari poteſt, incolu-

( 1 ) Vox Accidens ſcholaſtica eſt, quam tamen uſurpavit Seneca ep. 117. A Lucretio lib. 1. v. 457. dicitur *Eventum*; ab eodem lib. 1. v. 448. Accidens prædicabile dicitur, *cujus adventu manet incolumis natura abituque*.

( 2 ) Cum dicitur Accidens *adeſſe, & abeſſe*, particula *&* disjunctionem ſignificat, & ponitur pro *vel*. Poteſt enim Accidens non ſimul adeſſe, & abeſſe, ſed modo adeſſe, modo abeſſe. Porro definitio hæc, ſimul Logica, & Metaphyſica eſt. Metaphyſicus enim conſiderat Accidentis eſſentiam, Logicus prædicationem.

( 3 ) Ne quis hæreat in exemplis, moneo ad littora Tigris, quæ Perſidem aſpiciunt, inveniri corvos albos, ut referunt juniores quidam rerum naturalium Scriptores.

columr rei eſſentia, cujus eſt accidens, ex. gr. *nigror* & ſeparari a corvo poteſt, & negari, ſalva corvi natura, quia eſt accidens: at *crocitandi facultas* negari de corvo non poteſt, quia eſt proprietas, quæ neceſſario eſſentiam ejus conſequitur, & cum ea reciprocatur.

*Cedo mihi alias accidentis diviſiones.*

℞. Accidens vel eſt *externum*, vel *internum*. *Externum* eſt, quod rem extrinſecus denominat; quomodo laus dicitur accidens ejus, qui laudatur. *Internum* dicitur, quod eſt in re ipſa, ad quam pertinet: idque vel eſt *Phyſicum*, vel *Metaphyſicum*. *Phyſicum* rem vere ac naturaliter afficit, ut *motus*: *Metaphyſicum* rem dumtaxat denominat, ut *relatio*, *oppoſitio*, & ſimilia. Solet etiam accidens dividi in *abſolutum*, & *relatum*. Illud eſt, quod rem afficit ab omni alia ſolutam, & in ipſa natura ſua conſideratam, ut *figura*; hoc relationem & comparationem exprimit unius rei ad aliam, ut *æqualitas*. (2)

*Qua ratione dicitur univerſale & prædicabile?*

℞. Quia eſt totum logicum, quod ineſt variis ſubjectis, & prædicatur de illis. Prædicatur autem in *quale fortuito*, ut formula ſcholarum eſt. (3)

CA-

(2) Tota hæc diviſio transferri poteſt etiam ad accidens categoricum. Nam hoc ipſum comprehenditur in prædicabili.

(3) Accidens, quatenus accidens, prædicatur de ſubjectis, in quæ ſpargitur. Cum prædicatur de formis ſuis, ut *figura* de *quadrata*, & *rotunda*, generis rationem induit.

# CAPUT VII.

## DE MODO ET RATIONE PRÆDICANDI.

*ANTEQUAM PRÆDICABILIA DIMITTAS, DIC ALIQUID DE MODO PRÆDICANDI?*

℟. MOdus prædicandi, cujus gratia tam multa de Prædicabilibus, & Prædicamentis Logici diſputant, dicitur ab iis *Prædicatio*, ideſt enunciatio unius rei de alia: ut cum dico, *Avaritia eſt vitium*, prædico & enuncio *vitium* de *avaritia*, ideſt genus de ſua ſpecie. ( 1 )

*Quotuplex eſt prædicandi Modus?*

℟. Duplex: *Proprius*, & *Figuratus*. Diſcrimen non in ſententia, ſed in vocibus poſitum eſt. Nam modus prædicandi *proprius* effertur vocibus uſitatis, nihilque a naturali ſignificatione recedentibus; ut cum dico *Pratum floret*. Figuratus translato & minus proprio ſermone conſtat; ut cum dico *Pratum ridet*. Alter hic ad Rhetoras pertinet, ideoque a nobis dimittitur.

*Quo-*

( 1 ) Prædicatio revera non cadit in res, ſed in notiones, ut explicant acutiſſimi Stoici. Itaque rei cujuſque notio, quatenus in mente eſt, dicitur ἔννοημα; quatenus prædicari poteſt, dicitur λεκτὸν; quatenus prædicatur, dicitur κατηγόρημα.

*Quotuplex eſt proprius?*

℞. Triplex : primus dicitur *ordinatus* , ſecundus *præter ordinem*, tertius *contra ordinem*. *Ordinatus* eſt , cum naturalis ordo ſervatur, ut magis univerſale prædicetur de eo, quod anguſtius eſt , minuſque diffuſum; uno verbo cum prædicatum latius patet, quam ſubjectum; ut cum dico, *juſtitia eſt virtus*: vel cum prædicatum, & ſubjectum reciprocantur ; ut cum definitio dicitur de re definita , verbigrat. *juſtitia eſt virtus, quæ tribuit cuique ſuum*. *Præter ordinem* dicitur, cum inter prædicatum, & ſubjectum nullus eſt ordo. Tunc autem nullus eſt ordo , cum idem de eodem enunciatur , ut ſi dicam, *homo eſt homo*; (2) vel cum ea copulantur, quæ ſunt alterius ordinis , ut ſi dicam *album eſt dulce*. Denique modus prædicandi *contra ordinem* eſt, qui fit ordine præpoſtero. Eſt autem ordo præpoſterus , cum ſubjectum latius patet & funditur, quam prædicatum; ut ſi dicam , *virtus eſt juſtitia*.

*Or-*

(2) Hujuſmodi prædicationes, quæ vulgo *identicæ* vocantur, placuere Scholaſticis quibuſdam. Revera nugatoriæ ſunt, quia per eas mens nihil diſcit. A Græcis dicuntur ταυτολογίαι. Fieri interdum poteſt, ut in familiari ſermone habeant aliquam urbanitatem; cujuſmodi ſunt illæ apud Plautum in Curcul. a. 4. ſc. 4. *Quoi homini Dii ſunt propitii, ei non eſſe iratos puto*. Et in Sticho a. 1. ſc. 2. *E malis multis, malum quod minimum eſt, id minimum eſt malum*.

### *Ordinatus quomodo dividitur a Scholaſticis?*

℟. Scholaſtici, qui nullum dividendi finem faciunt, dividere ſolent *ordinatum* prædicandi modum in *internum* & *externum*, in *eſſentialem* & *accidentalem*, in *uſitatum* & *inuſitatum*, in *neceſſarium* & *contingentem*, in *poſſibilem* & *impoſſibilem*, *in quid* & *in quale*: quæ quidem omnia diviſionum genera ex ipſis vocibus, quibus efferuntur, manifeſta ſunt; ſiquidem quale eſt prædicatum, talis dicitur prædicandi modus. (3)

PAR-

*(3)* Si quis dividere velit ordinatum prædicandi modum in *proximum*, & *remotum*, non inepte dividet ad tollendas difficultates, quæ contra prædicabilium definitiones afferri ſolent. Nam *genus* ex. gr. *proxime* prædicatur de pluribus differentibus ſpecie, *remote* de pluribus differentibus numero.

# PARTIS SECUNDÆ PROTHEORIÆ,

## *VULGO*

## ANTEPRÆDICAMENTA.

### *QUID SUNT ANTEPRÆDICAMENTA, ET QUO SPECTANT?*

℟. Poſt modum prædicandi, ordine ſequitur id, quod prædicatur. Explicandæ ſunt igitur nobis Categoriæ, quæ vulgo dicuntur *Prædicamenta*; ideſt claſſes rerum, quæ poſſunt prædicari. Id ut commode fiat, præmittuntur ab Ariſtotele Protheoriæ, quæ in ſcholis *Antepradicamenta* vocantur. Sunt autem prænotiones quædam neceſſariæ ad intelligenda *Prædicamenta*. Continentur tribus *definitionibus*, duabus *diviſionibus*, & *regulis* item duabus. ( 1 )

*Quæ-*

( 1 ) Idem Porphyrius, a quo ſumſimus ſuperiorem *Prædicabilium* doctrinam, Ariſtotelis *Prædicamenta* expoſuit exiguo libello, cui titulus: Εἰς τὰς Ἀριστοτέλους κατηγορίας ἐξήγησις κατὰ πεῦσιν καὶ ἀπόκρισιν. ideſt, *In Ariſtotelis Categorias expoſitio per interrogationem & reſponſionem*. Eadem ipſa expoſitione *Antepraedicamentorum* doctrina comprehenditur. Nos tamen hic Porphyrio dimiſſo, Ariſtotelem ipſum aggredimur ad explicandum.

Digitized by Google

*Quænam ſunt definitiones?*

℞. Prima eſt *Homonymorum*. *Homonyma*, ſeu *Ambigua*, ſunt ea, quorum nomen commune eſt, ſed notio & natura, quæ nomine ſignificatur, plane diverſa; ut *aries*, quæ vox modo *belluam* ſignificat, modo *ſignum cæleſte*, modo *bellicam machinam*. Hæc in Scholis dicuntur *Æquivoca*, de quibus vide plura in Rudimentis Dialect. Par. 1. cap. 4. Secunda definitio eſt *Synonymorum*. *Synonyma* autem ſunt, quorum nomen, & ratio, quæ nomine ſignificatur, eſt eadem; ut *animal*, quæ vox æque *hominem*, ac *belluam* ſignificat. Hæc a Scholaſticis dicuntur *Univoca*, a Cicerone *Cognominata*. Tertia eſt *Paronymorum*. *Paronyma* ſunt nomina concreta, quæ denominantur ab ea forma, a qua oriuntur; ut *juſtus*, quod oritur a *juſtitia; fortis*, quod a *fortitudine* ducitur. Ab Ariſtotele dicuntur ea, *quæ ab aliquo, a quo caſu differunt, appellationem habent*; a Latinis Grammaticis vocantur *Denominativa*, a Cicerone *Conjugata*. (2)

*Habent ne omnia locum in Categoriis?*

℞. Sola Synonyma in Categoriis locum habent, quia hæc ſola unius rationis ſunt, & una claſſe coerceri poſſunt.

*Quot*


(2) Cicer. Topic. c. 3. *Conjugata dicuntur, quæ ſunt ex verbis generis ejuſdem. Ejuſdem autem generis verba ſunt, quæ orta ab uno varie commutantur, ut ſapiens, ſapienter, ſapientia*. Ex quo genere ſæpe argumentari ſolemus, ut idem Cicero l. 3. de Nat. Deor. c.12. *Si omnis cera commutabilis eſſet, nihil eſſet cereum, quod commutari non poſſet*.

*Quot ſunt diviſiones?*

℟. Duæ ſunt diviſiones, prima *vocum*, altera *rerum*. Diviſio *vocum* eſt hujuſmodi. Voces aliæ ſunt *complexa* ( κατὰ συμπλοκὴν ) quæ plura ſignificant, ut *figura plana*: aliæ *ſimplices* ( ἄνευ συμπλοκῆς ) quæ rem unam, aut modum unum exprimunt, ut *figura*. Solæ voces *ſimplices* locum habent in Categoriis.

Diviſio *rerum* hæc eſt. Quæcumque in rerum natura ſunt, vel *de ſubjecto dicuntur*, ſed *in ſubjecto non ſunt*, ut ſubſtantiæ univerſales, homo, animal, &c. *Vel in ſubjecto* quidem *ſunt*, ſed *de ſubjecto non dicuntur*, ut accidentia ſingularia, hic calor, hic color, &c. Vel *de ſubjecto dicuntur*, & *in ſubjecto ſunt*, ut accidentia univerſalia, v. gr. color, qui ſemper eſt in aliqua ſubſtantia, & de multis colorum formis enunciatur. Vel *neque in ſubjecto ſunt*, *neque de ſubjecto dicuntur*, ut ſingulares ſubſtantiæ, Petrus, Socrates, &c. Res in ſubjecto ſchemate clarior apparebit.

Eſt




*Subjectum quot modis dicitur?*

℞. Subjectum aliud eſt *prædicationis*, aliud *inhæſionis*. Primum eſt, de quo aliquid prædicatur; ſecundum eſt, in quo aliquid inhæret. Ex. gr. *homo* habet ſubjectum *prædicationis*; eſtque Socrates, Ariſtoteles, & quodlibet humanæ naturæ individuum, de quo *homo* enunciatur: *figura* habet ſubjectum *inhæſionis*; eſtque cera, lignum, marmor, & alia, quibus *figura* inhærere ſolet.

*Quo*

*Quo ſpectant hæc?*

℟. Eo nempe ut intelligamus, quidquid eſt, vel eſſe *ſubſtantiam*, vel *accidens*. Hoc habet ſubjectum *inhæſionis*, & *in ſubjecto eſſe* dicitur; quia per ſe conſiſtere nequit: illa non item. Præterea ut intelligamus, tum ſubſtantiarum, tum accidentium alia eſſe *univerſalia*, alia *ſingularia*. Illa habent ſubjectum *prædicationis*, & *de ſubjecto dicuntur*, quia enunciantur de multis: hæc non item.

*Quænam ſunt Regulæ?*

℟. Prima regula eſt, *Cum quippiam de quopiam dicitur, quæ de prædicato enunciantur, ea poſſunt etiam de ſubjecto enunciari*: ex. gr. quia *Grammatica* dicitur *ars*, quæcumque *arti* tribuuntur, etiam *Grammaticæ* tribui poſſunt. Itaque quoniam *ars* dicitur *habitus*, etiam *Grammatica habitus* eſt. (1) Secunda regula duas habet partes. Prima eſt, *Omnium generum, quorum nec alterum ſub altero poſitum eſt, nec ambo ſub eodem tertio, differentiæ ſingulæ prorſus diſſident*: ut *animalis*, & *ſcientiæ* differentiæ nullam affinitatem habent, quia *animal* ſubeſt ſubſtantiæ, *ſcientia* accidenti. Secunda pars hujus regulæ eſt, *Eorum generum, quo-*

D *rum*

(1) Ratio regulæ eſt, quia in enunciatione ajente prædicatum debet omnino ſubjecto convenire, in negante debet omnino diſcrepare; ne fallaciæ locus ſit. Porro ſi quid prædicato conveniat, non proprie & per ſe, ſed fortuito, id non debet de ſubjecto enunciari: v. gr. *Ars* dicitur genus; non tamen iccirco *Grammatica* dici genus debet. Vide *fallaciam accidentis* in Elench. Sophiſt.

*rum alterum ſub altero collocatur , vel ambo ſub eodem tertio , quædam ſunt communes differentiæ* : ut *planta* , & *animal* conveniunt in differentia *corporea* , quia utrumque *corpori* ſubeſt . Ratio eſt , quia natura ſuperioris continetur in inferiori , eique attribuitur , ſi rectus ſit prædicandi modus ; veluti cum dico , *planta eſt corpus* , *animal eſt corpus* . ( 2 )

PARS

( 2 ) Quidam excipiunt *Corpus* & *Spiritum* ; quæ cum ſint ſub eodem genere *Subſtantiæ* , in nulla tamen differentia conveniunt .

Porro autem quæ nos *Antepraedicamentorum* nomine complexi ſumus , ea Ariſtoteles explicuit in capite primo , ſecundo , & tertio Categoriarum . Ex quo fit , ut quod proxime ſequitur , & a nobis primum dicitur , in Ariſtotelico Organo quartum ſit . Eumdem ordinem ſequentes , ſex poſtrema Categoriarum capita uno nomine comprehendemus , & *Poſtprædicamenta* vocabimus ex inveterato ſcholarum more .

# P A R S II.

## *DE CATEGORIIS ſeu PRÆDICAMENTIS*

## *C A P U T P R I M U M.*

### DE CATEGORIIS IN UNIVERSUM. (1)

### *QUID EST CATEGORIA?*

℟. Quid ſit Categoria, ſatis notum eſt ex *Rudimentis*. (2) Et numerum Categoriarum, & nomen ipſum quidam referunt ad Archytam Tarentinum: quia de re nobis laborandum non eſt, modo ſciamus, hæc eſſe ſumma rerum omnium genera, quorum cognitio Dialectico neceſſaria eſt ad diſputan-



(1) Inſcriptio hæc non eſt Ariſtotelis ipſius, ideoque ſæpe variata eſt. *Nam* ( ut ſcribit Simplicius in Prolegom. Categor. *)* ab aliis *Ante Topica* liber inſcriptus eſt; ab aliis *De Generibus entis*; ab aliis *De decem Generibus*; ab aliis *Categoriæ decem*; ab aliis *Categoriæ*. Porro *Ante Topica* inſcripſit Adraſtus Aphrodiſæus, quia iis Topica ſubjecit.

(2) *Categoria* dicta eſt a verbo Græco κατηγορεῖσθαι, *enunciari*, *prædicari*. Hinc Categoriæ, vulgo *Prædicamenta* dicuntur; a Quinctiliano *vocabulorum elementa*; ab Alexandro Aphrodiſienſi πρῶτα τῆς Φιλοσοφίας, *principia Philoſophiæ*. Sunt enim claſſes rerum omnium, quibus natura coercetur. Claſſis porro quæque dividitur in ſua genera, ſpecies, atque individua; nihilque eſt in Categoriis, quod non uno aliquo ex iis nominibus appelletur, quæ *Prędicabilia* diximus. Ex quo apparet, quomodo *Prędicabilia* ad *Prędicamenta* pertineant, & qua ratione ab iis differant: qua de re ſatis diximus in *Rudimentis* Par. 1. cap. 3.

dum, ne ſubſtantias cum modis earum, aut modos ipſos inter ſe, aut relata cum abſolutis confundat. (3)

*Quænam conditiones comitari debent voces & notiones Categoricas?*

℞. Quod in Categoria aliqua recte collocatur, primo debet eſſe *verum ens;* qua ratione excluduntur entia rationis, privationes, & negationes. (4) Deinde debet eſſe *ens per ſe unum*, non ex pluribus conflatum; qua ratione excluduntur voces complexæ, & concreta quælibet. Tum debet eſſe *ens completum*, perfectumque; qua conditione excluduntur entia omnia, quæ partis rationem habent. Hinc habes, cur *differentiæ* in arbore Porphyriana non collocentur in recta Categoriæ claſſe, ſed latera teneant; quia ſcilicet non tota quædam, ſed partes ſunt. Poſtea debet eſſe *ens ſynonymum*, hoc eſt unius nominis & rationis: qua conditione excluduntur *homonyma*, & *paro-*

(3) Boethius in Præfat. lib. 1. Prædicam. *Archytas etiam duos compoſuit libros, quorum in primo hæc decem prædicamenta diſpoſuit. Unde poſteriores quidam, non eſſe Ariſtotelem hujus diviſionis inventorem, ſuſpicati ſunt, quod Pythagoricus vir eadem ſcripſiſſet; in qua ſententia Jamblicus Philoſophus eſt non ignobilis; cui non conſentit Themiſtius, neque concedit, eum fuiſſe Archytam, qui Pythagoricus Tarentinuſque eſſet, quique cum Platone aliquantulum vixiſſet, ſed Peripateticum aliquem Archytam, qui novo operi auctoritatem vetuſtate nominis conderet*. Vide Voſſium de natura Art. l. 4. c. 8. §. 3.

(4) Per *entia rationis* hoc loco ſignificantur notiones illæ, quibus nihil in natura reſpondet, ut Centaurus, Chimæra, & ſimilia.

*paronyma*. Poſtremo debet eſſe *ens certæ ac definitæ naturæ*, non vagæ: qua conditione excluduntur entia illa, quæ dicuntur tranſcendentia, quod vagentur per omnes Categorias; ex. gr. *bonum*, *unum*, *totum*, *cauſſa*, & id genus plurima.

*Quot ſunt voces, quæ ſignificant capita rerum his omnibus conditionibus prædita?*

℞. Decem, ut placet Ariſtoteli. Prima ſignificat *ſubſtantiam*. Secunda *quantitatem*. Tertia *qualitatem*. Quarta *relationem*. Quinta *actionem*. Sexta *paſſionem*. Septima *ubi*. Octava *quando*. Nona *ſitum*. Decima *habitum*. De quo numero habes plura in *Rudimentis* Par. 1. cap. 3. (5)



(5) Non ſolum hic, ſed etiam in 1. Topic. in 1. Poſter. in 5. Phyſic. & in 4. Metaphyſ. recenſet Ariſtoteles Categoriarum numerum, ſed alibi alias omittit. Id certum ubique apud illum, firmumque dici poteſt, quatuor eſſe capita, ad quæ Categorica omnia referantur, *ſubſtantiam*, *quantitatem*, *qualitatem*, *relationem*. Nam quidquid eſt, vel eſt per ſe, vel per accidens: ſi per ſe, conſtituit *ſubſtantiam*; ſi per accidens, vel eſt abſolutum, vel relatum; ſi abſolutum, vel fluit a materia, & conſtituit *quantitatem*; vel a forma, & conſtituit *qualitatem*; ſi relatum, conſtituit *relationem*; ad quam, tamquam ad genus referuntur reliquæ Categoriæ. Nam *agere* & *pati* nihil eſt aliud, quam relatio inter agentem & patientem; *ubi* relatio inter locum, & rem, quæ in loco eſt, &c.

Digitized by Google

# CAPUT II

## DE SUBSTANTIA.

### *QUID EST SUBSTANTIA?*

℟. SUbſtantia, ſeu *Res*, eſt id, quod per ſe conſtat. Dici etiam poteſt id, quod ſuſtinet accidentia. Prima definitio explicat primam ſubſtantiæ vim in eo poſitam, ut nullius auxilio indigeat ad conſiſtendum; altera ſecundam ſignificat, per quam omnia, quæ ipſi accidunt, ſuſtinet ac tuetur. A ſagaci quodam hujus ſæculi Philoſopho definitur ſubſtantia *ſubjectum quoddam nobis ignotum, in quo ſunt affectiones, & proprietates nobis notæ*. Ab Ariſtotele definitur Categor. cap. 5. *id, quod non eſt in alio, tamquam in ſubjecto*. Eſſe autem in ſubjecto, eſt inhærere alteri; & ab eo pendere: quomodo ſola accidentia ſunt in ſubjecto. (1)

### *Quid eſt accidens?*

℟. *Accidens* (quo nomine ſignificantur apud Peripateticos reliquæ novem Categoriæ) eſt id, quod per ſe

(1) Ariſtotelica definitio fit per negationem; quia cum ſubſtantiæ natura nota non ſit, explicatio ſumitur ab eo, quod eſt notum. Ecce, quomodo ex veteri hac definitione juniorum Philoſophorum definitio nata ſit.

ſe non conſtat; vel quod eſt in alio tamquam in ſubjecto; uno verbo *Accidens* eſt id, quod non eſt ſubſtantia, ſed ſubſtantiæ inhæret.

*Nonne etiam pars rei eſt in re?*

℟. Pars non eſt in ſubjecto, ſed componit ſubjectum. Itaque anima hominis ex. gr. non eſt in homine, ſed eſt pars hominis, eumque componit.

*Quomodo dividitur ſubſtantia hoc loco ab Ariſtotele?*

℟. Dividitur in primam, & ſecundam.

*Quid eſt ſubſtantia prima?*

℟. Eſt ſingularis ſubſtantia, & individuum quodlibet, ut *Plato, hic liber*. Græci dicunt ἄτομον, vel καθ᾽ ἕκαστον. Definitur autem ab Ariſtotele, quod *neque in ſubjecto eſt, nec de ſubjecto dicitur*. Per primam conditionem diſtinguitur ab accidente; quod eſt in ſubjecto, ideſt alteri inhæret. Per ſecundam diſtinguitur a ſubſtantiis univerſalibus, quæ de ſubjecto dicuntur, ideſt de aliis multis enunciantur. (2)

*Quid eſt ſubſtantia ſecunda?*

℟. Subſtantia univerſalis, ut genus, & ſpecies, vocatur ab Ariſtotele *ſubſtantia ſecunda*, quia pendet

 a pri-

(2) Quidam non probarunt definitionem hanc, quia non reputarunt eſſe loicam.

a prima. Univerſalia enim ipſa per ſe nihil ſunt, ſed a ſingularibus cogitando eliciuntur. Ex quo fit ut ſubſtantia prima dicatur ab Ariſtotele *princeps*, *& maxime ſubſtantia*, πρώτως καὶ μάλιστα λεγομένη οὐσία. Et quia *ſpecies* propinquior eſt ſingularibus, quam *genus*, ea dicitur *magis ſubſtantia*. Definiri igitur poteſt ſubſtantia ſecunda per ipſa Ariſtotelis verba, *quod in ſubjecto non eſt, ſed de ſubjecto dicitur*.

*Quænam ſunt ſubſtantiæ proprietates?*

℞. Multæ numerantur ab Ariſtotele, quarum quidem aliquæ communes ſunt aliis Categoriis, aliquæ vero nullius pæne uſus, ſi credimus ætatis noſtræ Dialecticis.

*Quænam eſt prima?*

℞. Subſtantia de omnibus ſibi ſubjectis enunciatur συνωνύμως, ideſt *univoce*, ut verbo ſcholarum utar. Convenit enim unicuique ſecundum unam eamdemque rationem. Proprietas hæc non cadit niſi in ſubſtantiam ſecundam; nam prima non dicitur de ſubjecto. Itaque *homo* eodem modo prædicatur de *Petro* & de *Paulo*: *Petrus* non dicitur niſi de *Petro*.

*Cedo mihi proprietatem ſecundam.*

℞. Subſtantia prima ſignificat τόδε τι, *hocce*, ideſt rem certam, ſingularem, per ſe conſtantem, quæ veluti digito oſtendi poteſt. Subſtantia ſecunda ſignificat

cat ποιόν τι, *quale aliquid*, ideſt univerſale quid, quod de ſingularibus enunciatur, atque iis veluti adjicitur; tamquam prædicatum commune. Hinc apparet, quare ſubſtantia prima dicatur ab Ariſtotele *maxime ſubſtantia*. Secunda enim prædicatur per modum accidentis (3).

*Cedo tertiam.*

℟. Subſtantia per ſe, & ratione ſuæ naturæ nihil habet contrarium. Neque enim ſubſtantia opponitur ſubſtantiæ niſi ratione qualitatum, quibus afficitur. Probari poteſt ex definitione contrariorum, quorum ea ratio & natura eſt, ut ſe expellant a ſubjecto: atqui ſubſtantia non eſt in ſubjecto: non habet igitur contrarium. Quare ignis contrarius eſt aquæ, non qua ignis, ſed qua calidus, & ſiccus; Ariſtoteles diſſidet a Democrito, non qua homo, ſed qua Philoſophus. (4)

*Cedo quartam.*

℟. Subſtantia neque intenditur, neque remittitur. Extendi tamen poteſt, quod fit per quantitatem. Itaque unus equus non eſt *magis* equus, quam alius, ſed *major*. Scholæ dicunt ſuſcipere *magis*, *&* *minus*.

*Cedo quintam.*

℟. Subſtantiæ maxime proprium eſt, ut una eadem-

(3) Doctrina hæc contra Heraclitum, & Platonem eſt, qui ajebant, ſolas ideas eſſe, hoc eſt univerſalia.

(4) Ovidius lib. 1. Metamorph.

*Frigida pugnabant calidis, humentia ſiccis,*
*Mollia cum duris.*

demque permanens,ſuſcipiat contrarias qualitates. Nam eadem manus ex. gr. modo calida eſt, modo frigida. (5)

*Nonne quidam ſex faciunt ſubſtantiæ proprietates?*

℟. Faciunt enimvero, quia numerant inter ſubſtantiæ proprietates *eſſe ſubjectum accidentium*. Verum hæc non proprietas dici debet, ſed ratio & natura ſubſtantiæ. Nam quidquid in natura eſt, vel eſt ſubjectum, vel eſt in ſubjecto: ſubſtantia eſt ſubjectum, accidens eſt in ſubjecto.

*Cedo mihi gradus omnes ſubſtantiæ Categoricæ.*

℟. Habes ex Arbore Porphyriana in Rudimentis Par. 1. cap. 3. Eam ſeriem quidam exordiuntur ab *ente*, quod dividunt in *ſubſtantiam*, & *accidens*. Placuit nobis incipere a *ſubſtantia*, quia ſola ſubſtantia *eſt*: *accidens* autem vocatur modus ejus, & dicitur non *eſſe*, ſed *ineſſe*. (6)

*Deus continetur ne in Categoria ſubſtantiæ?*

℟. Divina natura nimis excedit humanæ mentis aciem. Attamen de ea quærentibus non deſunt Dialecti-

(5) Sæpe inculcat Ariſtoteles ἓν καὶ ταὐτὸ ἀριθμῷ ὄν, *unum idemque numero permanens*: quia hoc quoque contra Heraclitum, & Platonem eſt, qui docebant ſingulares ſubſtantias omnino non eſſe, ob perpetuas mutationes ex contrariis ortas.

(6) Quod ego *Subſtantiam* dico, Seneca appellat *quod eſt*, τὸ ὄν, epiſt. 58. *Illud genus QUOD EST generale, ſupra ſe nihil habet; initium rerum eſt; omnia ſub illo ſunt*. Et paullo poſt. *QUOD EST, in has ſpecies divido, ut ſint corporalia, aut incorporalia. Nihil tertium eſt. Corpus quomodo divido? Ut dicam, aut animantia ſunt, aut inanimantia.*

lectici, qui cælum terramque miſceant. De his Prudentius in Apotheoſi Præfat. 2.

*Statum laceſſunt omnipollentis Dei*
*Calumnioſis litibus:*
*Fidem minutis diſſecant ambagibus,*
*Ut quiſque lingua nequior:*
*Solvunt, ligantque quæſtionum vincula*
*Per ſyllogiſmos plectiles.*

Nobis optime locutus videtur D.Dionyſius,qui Deum ait eſſe ὑπερούσιον, ideſt *ſupra ſubſtantiam*. Ipſe unus vere ac proprie eſt, quia nihil eſt, niſi per illum: attamen quid ſit, explicari non poteſt. Nugatur igitur, ſi quis ejus naturam & eſſentiam aperire definiendo conatur (7). Nos tamen, ne nihil dicamus, audemus eam per effecta quædam nobis nota deſcribere hoc ferme pacto: Mens a ſe & per ſe conſtans, ab omni concretione rerum ſegregata, infinita vi ac virtute prædita, omnia regens, & per omnia ſine ulla menſura diffuſa (8).

CA-

(7) A Proclo l. 2. Platon. Theol. c. 11. Deus dicitur *omni ſilentio longe inexplicabilior, & ſubſtantia omni longe ig notior*. Alludit autem, niſi fallor, ad Oracula Zoroaſtris n. 41. ubi mens divina dicitur *ſilentium*.

(8) Cicero l. 1. de nat. Deor. c. 22. *Roges me, quid, aut quale ſit Deus. Auctore utar Simonide, de quo cum quæſiſſet hoc idem Tyrannus Hiero, deliberandi cauſſa ſibi unum diem poſtulavit. Cum idem ex eo poſtridie quæreret, biduum petivit. Cum ſæpius duplicaret numerum dierum, admiranſque Hiero requireret, cur ita faceret; quia quanto, inquit, diutius conſidero, tanto mihi res videtur obſcurior*. Quod Cicero Simonidi tribuit, Tertullianus in Apol. c. 46. tribuit Thaleti, quem facit de re hac interrogatum a Crœſo Lydorum rege.

# CAPUT III.

## DE QUANTITATE.

*QUANTITAS QUOT MODIS SUMITUR?*

℞. DUobus. Vel enim ſignificat extenſionem molis, vel extenſionem virtutis. Prima pertinet ad res corporeas, ſecunda ad incorporeas. Hic non agemus niſi de quantitate molis.

*Quid eſt igitur quantitas hoc modo ſumta?*

℞. Eſt modus, & menſura ſubſtantiæ; hoc eſt id, per quod ſubſtantia eſt extenſa, & menſurari poteſt. Ex quantitate igitur manat rerum dimenſio ac dinumeratio.

*Quotuplex eſt quantitas?*

℞. Duplex: *Continua*, & *Diſcreta*. *Continua* dicitur, cujus partes continuantur, id eſt communi nexu copulantur, atque una cohærent; ut *linea*, & *magnitudo* quælibet (1). *Diſcreta* dicitur, cujus partes disjunguntur: quia nullum habent nexum ipſis inter ſe communem, per quem ſimul coaleſcant; ut *numerus*, & *multitudo* quævis.

*Conti-*

(1) Seneca natur. quæſt. I. 2. c. 2. *Continuatio eſt partium inter ſe non intermiſſa conjunctio*. Igitur *contigua* dici poſſunt ea, inter quæ nihil eſt; *continua*, quorum eſt pars communis: ut in linea hac A BC D partes AC, & BD *continuæ* ſunt; partes BC *contiguæ*.

*Continua eſtne unius rationis?*

℟. Minime vero. Alia enim eſt *Permanens*, alia *Fluens*. Illa dicitur *Permanens*, cujus partes ſunt ſimul; ut *linea*, *ſuperficies*, *corpus*. *Linea* ſola longitudine conſtat: *ſuperficies* conſtat longitudine, & latitudine: *corpus* longitudine, latitudine, & profunditate. *Fluens* eſt, cujus partes in ſucceſſione quadam poſitæ ſunt; & magis fieri, quam eſſe dicuntur, ut *tempus*, & *motus*. ( 2 )

*Quid intelligit Ariſtoteles nomine communis nexus?*

℟. Intelligit individuum quid, quod pars rei non eſt, ſed partes nectit tamquam finis unius, & principium alterius. Hujuſmodi eſſe putat *puncta* in linea, *momenta* in tempore. ( 3 )

*Quo-*

( 2 ) Ad *lineam* refertur omne menſuræ genus, in quo nihil ſpectatur præter longitudinem; ut *ſtadium*. *Superficies* complectitur ea menſuræ genera, per quæ longitudo, & latitudo indicatur; ut *jugerum*. *Corpori* ſubjiciuntur illa omnia, in quibus ratio triplex menſuræ conſideratur, longitudo, latitudo, craſſitudo; ut *cubus*.

( 3 ) Empiricus lib. 1. adver. Log. n. 99. *Fluente puncto, lineam imaginamur, quę eſt longitudo carens latitudine. Fluente linea, fingimus ſuperficiem, quę eſt longitudo, & latitudo ſine profunditate. Fluente ſuperficie, gignitur corpus ſolidum.* Macrobius in ſomn. Scip. l. 2. c. 2. *Dicunt punctum corpus eſſe individuum, in quo neque longitudo, neque latitudo, neque altitudo deprehendatur; quippe quod in nullas partes dividi poſſit. Hoc protractum efficit lineam, &c.*

*Quomodo corpus cenſetur inter ſpecies quantitatis?*

℟. Corpus in ſchola Peripatetica vel *Phyſicum* eſt, ideſt compoſitum quoddam ex materia, & forma; & pertinet ad *ſubſtantiam*: vel *Mathematicum*, ideſt tergemina rei extenſio, qua res corporeas metimur; & pertinet ad quantitatem. (4)

*Nonne etiam locus ſpecies quantitatis eſt?*

℟. Ariſtoteles etiam locum recenſet inter ſpecies quantitatis continuæ, ſecutus opinionem illorum, qui putant locum eſſe ſpatium quoddam inane, quod a corpore occupetur. Ceterum revera locus in ſchola Peripatetica ad ſuperficiem revocatur. (5)

*Nonne quidam excludunt tempus?*

℟. Excludunt ſane, ſed injuria. Nam tempus eſt modus quidam rei durantis ab ea diſtinctus, ac veluti externa

(4) Corpus Mathematicum ſolet etiam interdum appellari *ſolidum, vel corpus ſolidum*. Macrobius in Somn.Scip.l.2. c. 2. *Omne corpus ſolidum trina dimenſione diſtenditur: habet enim longitudinem, latitudinem, profunditatem.* In hac tergemina dimenſione naturam & eſſentiam corporis Phyſici ponit Carteſius Princip. Philoſ. P. 1. §. 53.

(5) Lucretius lib. 1. iterum ac ſæpius miſcet *locum, ſpatium, & inane* tamquam voces ſynonymas. In libello, qui tribuitur Archytæ Tarent. γραμμαὶ δὲ, ϗ χώρα, ϗ τόπος, συνεχὲς, *linea autem, & ſpatium, & locus, continua ſunt*.

externa ejus menſura. Deſcribitur a Cicerone lib. 1. de Invent. cap. 26. *Tempus eſt pars quædam æternitatis cum alicujus annui, menſtrui, diurni, nocturnive ſpatii certa ſignificatione*. Sed de natura temporis Phyſici certent: Logico ſatis eſt, eſſe notiones aliquas, per quas reſponderi poſſit interroganti per quando. ( 6 )

*Quomodo oratio refertur ab Ariſtotele ad quantitatem diſcretam?*

℞. Quia conſtat partibus per intervalla diſtinctis, quæ numerum faciunt; nulluſque eſt inter ipſas nexus individuus & neceſſarius. Ceterum ſi ſonum ſpectemus, oratio ad qualitatem referenda eſt. ( 7 )

Re-

( 6 ) D. Auguſtinus l. 11. Confeſſ. c. 14. *Tempus quid ſit, ſi nemo ex me quærat, ſcio; ſi quærenti explicare velim, neſcio.* Platonici collocant tempus inter ea *quæ quaſi ſunt*, teſte Seneca ep. 58. & Apulejo de doct. Plat. Epicurei tempus nihil eſſe putant diſtinctum a rebus, quæ tempore menſurantur. Lucretius lib. 1. v. 460.

*Tempus item per ſe non eſt, ſed rebus ab ipſis*
*Conſequitur ſenſus, tranſactum quid ſit in ævo;*
*Tum quæ res inſtet; quid porro deinde ſequatur.*

( 7 ) In oratione duplex eſt numerus: alter oritur ex intervallis, quibus ejus partes disjunguntur, qui a Græcis ἀριθμὸς dicitur: alter eſt in ſono, & ad modulandi rationem refertur, qui a Græcis vocatur ῥυθμός. Hinc & ligata numeris, & ſoluta oratio dici ſolet, prout accidit ad aures, in quibus inſidet hoc judicium. Prioris numeri partes ſunt commata, cola, periodi; poſterioris ſunt jambus, dactylus, ſpondæus, ceterique pedes, pedumquæ ſyllabæ aut longæ, aut breves.

*Recita mihi jam quantitatis proprietates.*

℟. Tres ſunt. Prima, quantitas quantitati non eſt contraria: nam *magnum*, & *parvum* relata ſunt, non contraria. ( 8 ) Secunda, quantitas ſecundum ſuam naturam & eſſentiam neque intenditur, neque remittitur; tametſi ſecundum ſuas partes dicatur maior, & minor. Itaque *linea* una eſt *maior altera*, non tamen eſt *magis linea*. Tertia, res per quantitatem dicuntur æquales, vel inæquales; pares, vel impares. ( 9 )

C A-

( 8 ) *Linea curva*, & *linea recta* non ſunt contrariæ, ut quidam putant; ſed differunt ſpecie. Nam *curvum*, & *rectum* ſunt formæ quædam ipſius lineæ.

( 9 ) Hæc ex Ariſtotele. Alia quædam proprietas addi poſſe videtur, qua res per quantitatem in partes ſecari poſſunt. Nam ſiquid eſt quantum, ſtatim ſequitur ut ſit dividuum.

# CAPUT IV.

## DE QUALITATE.

### *QUID EST QUALITAS?*

℟. ESt affectio quædam, vis, & ratio, per quam intelligitur, *qualis* res ſit; ut calor, color, &c. (1)

### *Nonne juniores Philoſophi vocem hanc tamquam inanem rejiciunt?*

℟. Perperam Scholaſtici diſputatores utuntur hac voce compendii gratia, ad multa naturæ opera ſignificanda & explicanda, quorum clara & diſtincta notio afferri poteſt. At perperam item ab junioribus quibuſdam tamquam inepta condemnatur & excluditur;



(1) Vox hæc Latino ſermoni a Cicerone tradita eſt. *Qualitates* (inquit Academ. 1. cap. 7.) *appellavi, quas* ποιότητας *Græci vocant; quod ipſum apud Græcos non eſt vulgi verbum, ſed Philoſophorum.*
Definitio, quam tradit Ariſtoteles, ποιότητα λέγω, καθ' ἣν ποιοί τινες εἶναι λέγονται, *qualitatem dico, qua aliqui dicuntur quales*, reprehendi ſolet ab junioribus Dialecticis, qui non reputant, conjugata ita ſe habere, ut concretum valeat ad definiendum abſtractum, quia notius eſt. Itaque Ariſtoteles in lib. 2. Poſter. c. 13. docet ex viris *magnanimis* cognoſcendam eſſe naturam & rationem *magnanimitatis* ad definiendum.

ditur ; cum diſputanti commoda ſit atque opportuna ad tolerabilem aliquam eorum effectorum explicationem, quæ clare diſtinctéque manifeſtare nequimus. Logico certe neceſſaria eſt, qui reſpondere debet interroganti per *quale*.

*Quot ſunt qualitatis ſpecies?*

℟. Quatuor veluti paria recenſet Ariſtoteles. Primum eſt *habitus*, & *diſpoſitio*. Secundum naturalis *potentia*, & *impotentia*. Tertium *paſſio*, & *patibilis qualitas*. Quartum *forma*, & *figura*. (2)

*Explica mihi primam qualitatis ſpeciem.*

℟. *Habitus* eſt firma quædam facilitas agendi aliquid, longo uſu comparata ; cujuſmodi eſt ars quælibet. *Diſpoſitio* eſt progreſſio ad habitum, ideſt expedita quædam animi, aut corporis ad aliquid faciendum commoditas & proclivitas. Differunt, non natura, ſed gradu ; quemadmodum paria duo, quæ ſequuntur. Igitur *habitus* eſt qualitas firma & permanens ; *diſpoſitio* mobilis & infirma. Hæc aſſiduo uſu & exercitatione in illum migrat. (3) *Ex-*

(2) Ab Ariſtotele dicuntur, ἕξις καὶ διάθεσις, δύναμις φυσικὴ καὶ ἀδυναμία, παθητικὴ ποιότης καὶ πάθος, σχῆμα καὶ μορφή. quibus fideliter reſpondent quatuor uſitatæ formulæ a nobis allatæ. Ab eo, qui Latine loqui velit, primum par dici poteſt *habitus, perfectus & imperfectus*, ut ars quælibet abſoluta, vel inchoata ; ſecundum *naturalis vis*, & *imbecillitas*, ut facultas tum animi tum corporis firma, vel infirma ; tertium *affectio diuturna*, & *fortuita*, ut pallor naturalis, vel pallor ex metu ; tertium ut ſupra.

(3) Utraque hæc qualitas vel eſt animi, vel corporis ; vel bona, vel mala : qua de re Morales Philoſophi docent. Habitus porro definitur a Cicerone lib. 1. de Invent. cap. 25. *Conſtans & abſoluta animi, aut corporis aliqua in re perfectio, non natura data, ſed ſtudio induſtriaque parta.* Ab eodem in Tuſcul. 4. cap. 13. habitus dicitur *affectio manens*.

*Explica mihi ſpeciem alteram.*

℞. *Naturalis potentia* eſt virtus quædam a natura inſita & confirmata ad agendum, aut reſiſtendum; cujuſmodi eſt firmitas laterum, & totius corporis agilitas ad luctandum. *Impotentia* eſt eadem virtus diminuta & infirma.

*Explica tertiam.*

℞. *Patibilis qualitas* eſt firma quædam ac diuturna rei vis, quæ ſenſum afficit, ut calor, color, frigus, ſapor, & cetera, quæ vulgo dicuntur ſenſuum objecta. Quod ſi cito diffluat, ut pallor ex metu, rubor ex pudore, dicitur *paſſio*. Ajunt, qualitates hujuſmodi habere locum etiam in animo. Proinde inveteratum odium appellant *patibilem qualitatem*, brevem iram vocant *paſſionem*. (4).

*Explica quartam.*

℞. *Figura* eſt externus rei terminus, qui eam metatur & circumſcribit. Ex hac res dicuntur rectæ, curvæ, quadratæ, aut alio quopiam modo figuratæ. (5) *Forma* eſt qualitas ex varia partium magnitudi-

 ne,

(4) *Patibilis qualitas* ita dicitur, quia facit hominem *qualem*: nam ex firmo & conſtanti rubore aliquis ruber dici ſolet. At *paſſio* non facit hominem *qualem*. Neque enim ſiquis rubeat verecundia, denominatur ruber. Ita docet Ariſtoteles ipſe c. 8. n. 12.

(5) Ex hac figuræ definitione apparet, cur figuræ Geometricæ dicantur *metæ* a Perſio Sat. 1. ver. 131.

ne, collocatione, proportione, & colore orta; ut forma hominis. Itaque *figura* (ut Boethius monet) fere ad res artefactas pertinet, *forma* ad naturales. (6)

*Nonne etiam* rarum, *&* denſum, aſperum, *&* læve *ſunt ſpecies qualitatis?*

℟. Movet difficultatem hanc Ariſtoteles; ſibique ipſe reſpondet, *rarum*, & *denſum*, *aſperum*, & *læve* pertinere ad Categoriam ſitus, cum variam partium poſitionem ſignificent. (7)

*Quænam ſunt qualitatis proprietates?*

℟. Tres recenſentur qualitatis proprietates. Prima, qualitas qualitati contraria eſt: nam calor ex. gr. pugnat cum frigore. Hæc tamen proprietas non pertinet ad quartam ſpeciem; quia nec *figura figuræ*, nec *forma formæ* adverſatur. Secunda, qualitas intendi, ac remitti poteſt. Recte enim dicitur calor intenſus, & remiſſus, magis intenſus, & magis remiſſus. Ne iſta quidem proprietas convenit quartæ ſpeciei, Neque enim unum triangulum eſt magis triangulum, quam alterum; quamvis poſſit eſſe majus, ideſt magis exten-

(6) Forma, & figura a Latinis Scriptoribus promiſcue uſurpantur. Livius l. 25. c. 31. *Archimedes intentus formis, quas in pulvere deſcripſerat*. Cicero de offic. l. 1. c. 35. *Natura formam noſtram, reliquamque figuram, in qua eſſet ſpecies honeſta, eam poſuit in promtu*. Idem Cicero dixit *formæ figuram* in lib. 1. de Nat. Deorum, c. 32.

(7) Attamen affectiones illæ, quas in nobis excitant *aſperum*, & *læve*, ad qualitatem referuntur; non ſecus atque illæ, quas excitant ignis, & aqua.

tenſum. Tertia, per qualitatem res dicuntur *ſimiles*, & *diſſimiles*; quemadmodum per quantitatem dicuntur *æquales*, & *inæquales*. Itaque duo equi ſi ſint ejuſdem coloris, dicuntur ſimiles; ſi ſint ejuſdem molis, dicuntur æquales. (8)

*Quid eſt qualitas occulta, quam ſæpe memorant Phyſici Peripatetici?*

℞. Ex nomine ipſo patet, eſſe affectionem, cujus ratio & natura nobis ignota eſt. Nihil eſt, quod magis rideatur ab hujus ætatis Philoſophis; qui tamen cum de iiſdem rebus interrogantur, plerumque verba ſimilia reddunt. Nos qualitatis occultæ nomen accipimus libenter a Peripateticis, non explicationis, ſed ingenuæ confeſſionis loco. Quamquam hoc non Logici, ſed Phyſici negotii eſt.

*Quid Rhetores de qualitate?*

℞. Rhetores qualitatis nomine omnes rerum civilium modos intelligunt, de quibus controverſia eſt. Itaque primum de facto quovis quærunt, *an ſit*, & *quid ſit*; tum quæſtiones reliquas movent per *quale ſit*. Hinc triplex apud eos ſtatus, *conjecturæ*, *finitionis*, & *qualitatis*.



(8) Hæc ex Ariſtotele. Illud vero etiam inter proprietates qualitatis numerari poſſe videtur, quod res per qualitates inter ſe agunt. Neque enim ſubſtantia ipſa per ſe agendi, aut patiendi vim habet; ſed eatenus agit, aut patitur, quatenus eſt qualitatibus prædita.

# CAPUT V.

## DE RELATIONE.

### *QUID EST RELATIO?*

℟. RElatio eſt ordo & affectio quædam rei ad rem. Itaque relata dicuntur a Græcis τὰ πρός τι, *quæ ſunt ad aliquid*, ideſt quorum tota ratio & natura eſt referri ad aliquid. Nomen ipſum relationis magis intelligi, quam explicari poteſt. Quanto autem paucioribus indiget, tanto plura de eo commenti ſunt acuti quidam & otio abundantes diſputatores. Nos pro modulo noſtro Ariſtotelem ſecuti, dabimus pauca. (1)

### *Quotuplex eſt relatio?*

℟. Alii alias diviſiones afferunt. Placet nobis relationem eſſe duplicem. alteram *rationis*, alteram *rei*. Relatio *rationis* eſt, quæ vulgo *ſecundum dici* ſolet appellari; ideſt quæ a nobis formatur inter ea, quæ natura ſua relata non ſunt, & explicari abſque ulla comparatione poſſunt. Hoc modo pes, & manus relata dicuntur; quia alterum cum altero interdum confertur, quamvis etiam ſine collatione cognoſci poſſit. Relatio *rei* eſt, quæ *ſecundum eſſe* in ſcholis vocatur; ideſt quæ datur in rerum natura citra cogitationem no-

(1) Scholaſtici *relativa* dicunt: Cicero, & Quinctilianus modo *collata*, modo *comparata*, modo *affecta*, modo *quæ inter ſe conferuntur*, modo *quæ ſub eamdem rationem cadunt*. His opponuntur *abſoluta*, h. e. ea, quæ per ſe conſtant, propriamque vim, & naturam habent.

noſtram; ut relatio inter patrem, & filium, inter dominum, & ſervum, inter ſimilia, inter æqualia, &c. Hæc enim ſunt hujuſmodi, ut eorum tota vis atque natura ſit alterius ad alterum affectio. (2)

*Ordo hic, quem appellas relationem, nonne vagatur per omnes Categorias?*

℞. In omnibus Categoriis locum habere poteſt relatio rationis. Nam & quælibet ſubſtantia, & quodlibet accidens aliquo modo refertur ad aliud. Ex quo factum eſt, ut quidam relationem accipere noluerint tamquam ens Categoricum, peculiari claſſe concluſum. Nos dicimus relationem *rei* non vagari, ſed ſuam ſibi conſtituere Categoriam.

*Quænam ſunt præcipue ſpectanda in relatione?*

℞. Quatuor. Primo ſubjectum, quod dicitur *relatum*, ex. gr. *pater*. Secundo terminus, quod dicitur a Scholaſticis *correlatum*, cujuſmodi eſt *filius*. Tertio fundamentum relationis, qualis eſt *generatio*. Quarto relatio ipſa, quæ eſt *mutua affectio* inter patrem, & filium ex generatione orta.

*Quot ſunt relatorum proprietates?*

℞. Quinque admodum recenſentur ab Ariſtotele. Prima eſt, Relata ſibi inter ſe opponuntur; ideſt



(2) Hæc diſtinctio potius, quam diviſio dici debet. Re vera enim ſola relatio *rei* hoc nomen meretur, & Categoriam conſtituit. Relata *rei* Grammatici appellant nomina *ad aliquid*, relata rationis *quaſi ad aliquid*.

ſibi e regione reſpondent: quæ quidem oppoſitio minima eſt omnium. Secunda, Relata, quæ oriuntur a qualitate, intendi poſſunt ac remitti, ut *ſimilia*, *& diſſimilia*. Tertia, Relata, per quamdam reciprocationem de ſe mutuo dicuntur, vel genitivo caſu, ut *dominus eſt ſervi dominus*, *ſervus eſt domini ſervus*; vel quovis alio, ut *majus eſt minore majus*, *par eſt pari par*, *ſenſibile eſt ſenſu ſenſibile*. Quarta, Relata ſunt ſimul tempore, & natura. Nam uno poſito, ponitur & alterum; ſublato uno, tollitur alterum quoque. Seque invicem argumentando conſequuntur (3). Quinta, Relata ſunt ſimul cognitione; ideſt alterum per alterum definitur & cognoſcitur. Servus enim eſt, qui habet dominum; dominus, qui habet ſervum; nec fieri poteſt, ut alter ſine alterius mentione in aperto ponatur. Itaque qui unum relatum cognoſcit, ſtatim cognoſcit & alterum: verbigratia qui ſcit, Ciceronem eſſe maritum Terentiæ, ſcit etiam Terentiam eſſe Ciceronis uxorem. (4)

CA-

(3) Hæc proprietas tanti momenti eſt, ut per eam quidam relata definire voluerint. Auctor Dialecticæ, quæ d. Auguſtino tribuitur, de decem Categ. c. 11. *Si proprie hanc Categoriam, quæ* ad aliquid *dicitur*, *volumus definire, ut ab aliis ſeparetur*, *alio modo eam definire debemus*, *ne ſemper parum conſiderantibus error oriatur*. *Tunc ergo & vere*, *& proprie* ad aliquid *dicitur*, *cum ſub uno ortu*, *atque occaſu*, *& id*, *quod jungitur*, *& id*, *cui jungitur*, *invenitur*; *ut puta ſervus*, *& dominus*; *utrumque ſimul eſt*, *vel ſimul non eſt*.

(4) Seneca l. 5. de Benef. c. 10. *Quod comparatur*, *ſine altero non intelligitur*.

# CAPUT VI.

## DE ACTIONE, ET PASSIONE.

### *QUID EST ACTIO?*

℟. EST motus quidam, per quem vis & facultas agentis ſeſe exerit in patientem. In hac Categoria continentur verba omnia, quæ actionem ſignificant.

### *Quid eſt paſſio?*

℟. Eſt motus qui oritur ab agente, & patientis ſubſtantiam mutat. Categoria hæc verba omnia complectitur, quæ ſignificant paſſionem. Sed voces iſtæ per ſe claræ atque omnibus notæ, definiendo obſcurantur. (1)

### *Quotuplex eſt actio?*

℟. Duplex, *immanens*, & *tranſiens*. *Immanens* eſt, quæ in eo manet, a quo oritur; ut contemplatio, quæ manet in contemplante. *Tranſiens* pergit alio; ut calefactio, quæ manat a calefaciente in id, quod calefit,

(1) *Actio* igitur & *paſſio* eſt unus idemque motus, qui ut exit ab agente, dicitur *actio*; ut ſuſcipitur a patiente, *paſſio* vocatur.

leſit, eique formam aliquam impertitur, ideſt calorem. (2)

*Quænam ſunt harum Categoriarum proprietates?*

℟. Duæ prorſus referuntur ab Ariſtotele. Prima eſt, actio, & paſſio habent contrarium. Secunda, utraque intendi poteſt, ac remitti. Nam calefacere, & frigefacere, itemque calefieri, & frigefieri ſibi inter ſe opponuntur. Jam vero poteſt aliquid magis, & minus calefacere; magis, & minus calefieri. Utraque proprietas oritur ex qualitate, per quam ſubſtantia quælibet agit, & patitur.

CA-

(2) Multæ præterea eſſe poſſunt actionis diviſiones: nam aliæ ſunt corporis, aliæ animi; aliæ liberæ, aliæ neceſſariæ, &c. Sed ad noſtram hanc diſciplinam non pertinent; quamvis eas Dialectici multi augendi voluminis ſtudio complexi ſint.

# CAPUT VII.

## DE UBI, QUANDO, SITU, HABITU.

### *QUID DE QUATUOR HIS CATEGORIIS DOCET ARISTOTELES?*

℞. PAullo plus, quam dictum eſt a nobis in Rudimentis Logic. Par. 1. cap. 3. Illud in primis animadvertendum eſt, vocibus iſtis non ſignificari res ipſas, ſed ordinem quemdam, modum, & affectionem ad res. Nam *ubi* eſt affectio rei, prout eſt in loco; *quando*, prout eſt in tempore; *ſitus*, prout collocatur; *habitus*, prout veſtitur & ornatur.

*Suntne in loco res omnes eodem modo?*

℞. Ajunt Scholaſtici ſua quadam lingua, corpora eſſe in loco *circumſcriptive*, ſpiritus *definitive*, Deum *repletive*. Eſſe in loco *circumſcriptive*, ut ipſi explicant, eſt ita locum occupare, ut totum toti, & pars parti reſpondeat; quo modo eſt in hac ſchola quilibet noſtrum. Eſſe *definitive*, eſt ita in loco eſſe, & ab eo definiri, ut tamen totum ſit in toto loco, & totum in qualibet parte. Eſſe *repletive*, eſt loca omnia pervadere ac replere, ea ratione, qua Deum deſcripſimus in fine cap. 2.

PAR-

# PARTIS SECUNDÆ HYPOTHEORIÆ,

## VULGO

## POSTPRÆDICAMENTA.

*QUID SUNT POSTPRÆDICAMENTA?*

℟. ITa appellantur in ſcholis hypotheoriæ quædam, quas Ariſtoteles ſubjicit Prædicamentis.

*Quot ſunt Poſtprædicamenta?*

℟. Quinque ſunt, *oppoſita*, *prius*, *ſimul*, *motus*, *habere*. Harum vocum explicatio videtur neceſſaria ad ea penitus intelligenda, quæ dicta ſunt in Categoriis: quia ſignificant modos quoſdam generales, qui Categorias conſequuntur, ortos ex illarum inter ſe comparatione.

*Quænam ſunt oppoſita?*

℟. Quatuor afferuntur ab Ariſtotele oppoſitorum genera; *relata*, ut duplum, & dimidium; *contraria*, ut bonum, & malum; *privantia*, ut cæcitas, & viſus; *contradicentia*, ut ſedet, non ſedet. Agitur

autem

autem hic, non de enunciationum, ſed de vocum ſimplicium oppoſitione. (1)

*Quænam ſunt* Relata?

℞. Relata ſunt ea; quæ ex ſua natura ſeſe mutuo reſpiciunt, ut *dominus*, & *ſervus*. Dicuntur autem oppoſita, quia velut e regione poſita ſunt. In hoc unum oppoſitorum genus cadit reciprocatio: quia alterum per alterum eſt, & cognoſcitur. (2)

*Quænam ſunt* Contraria?

℞. Contraria (quæ a Cicerone in Topic. cap. 11. *adverſa* vocantur, a Græcis ἐναντία) ſunt ea, quæ ſub eodem genere poſita, maxime inter ſe diſſident. Contrariorum porro alia medio carent, ut *par*, & *impar* in numero; eaque ita ſe habent, ut alterutrum ſemper ſubjecto inſit: alia medium habent, eaque ſunt ejuſmodi, ut utrumque abeſſe poſſit a ſubjecto, ut *nigror*, & *albor*. Neque enim neceſſe eſt, res

(1) Pergit Ariſtoteles in *Oppoſitis* recenſendis gradatim a minima ad maximam oppoſitionem. Nam *Relata* quæ prima ſunt, non pugnant inter ſe, ſed ſibi e regione, reſpondent. Gravior eſt Oppoſitio *Contrariorum*, quæ ſe invicem oppugnant, & expellunt a ſubjecto. Superat hanc oppoſitio *Privantium*: nam Contraria abire, & redire poſſunt ad idem ſubjectum; at a privatione ad habitum non datur regreſſus v. gr. ab interitu ad vitam. Omnium maxime pugnant *Contradicentia* per particulam *non*, quæ partem adverſam penitus tollit.

(2) De his Cicero in Top. c. 11. *Alia quoque ſunt contrariorum genera, velut ea, quæ cum aliquo conferuntur; ut duplum, ſimplum; multa, pauca; longum, breve; majus, minus.*

res omnes eſſe albas , aut nigras , cum multæ medio quodam colore tingantur . Porro medium aliud dicitur per participationem utriuſque extremi, ut *color fuſcus*; aliud per negationem utriuſque, ut *virtus*, quæ medium *vitiorum* eſt , ſed *utrimque reductum*, ut ait Horatius lib. 1. epiſt. 18. (3)

*Quot ſunt conditiones* Contrariorum?

℟. Quinque conditiones Contrariis tribuit Ariſtoteles. Et prima quidem duabus partibus conſtat, quæ ſunt hujuſmodi: *Bono contrarium eſt malum dumtaxat*; *malo contrarium eſt tum bonum tum malum*. Nam virtuti opponitur vitium; vitio autem opponitur non ſolum virtus, ſed vitium ipſum. Exemplum ſit *avaritia*, cui adverſatur & *liberalitas*, & *prodigentia*. (4) Secunda conditio eſt: *Uno contrario poſito*, *non*

(3) Cicero ibid. *Contrariorum genera ſunt plura. Unum eorum, quæ in eodem genere plurimum differunt, ut ſapientia, ſtultitia. Eodem autem genere dicuntur, quibus propoſitis occurrunt tamquam e regione quædam contraria: ut celeritati tarditas, non debilitas*. Porro *contraria* in eo differunt a *privantibus*, & *contraditentibus*, quod *contraria* ſunt res, *privantia* res & rei privatio, *contradicentia* res & rei negatio. Ex. gr. *humanitas*, & *inhumanitas* ſunt contraria, ſi *inhumanitas* ſignificet affectionem, quæ dicitur feritas & ruſticitas; ſunt privantia, ſi *inhumanitas* ſignificet privationem humanitatis in eo, qui poteſt eſſe humanus, hoc eſt in homine crudeli; ſunt contradicentia, ſi *inhumanitas* ſignificet negationem humanitatis in eo, qui humanus eſſe non poteſt, ideſt in leone.

(4) *Bonum* ſi nimium ſit, adverſatur *bono*; quia ſumit rationem mali. Ita Martialis de nimia Tuccæ felicitate lib. 10. epigr. 13.

*Vis dicam, male ſit cur tibi, Tucca? Bene eſt.*

*non neceſſe eſt poni alterum*. Nam ex. gr. ſi animalia omnia ſint ſana, erit *ſanitas*, non *morbus*. (5) Tertia conditio: *Contraria, quæ medio carent, nequeunt ſimul eidem ineſſe*. Neque enim idem numerus poteſt eſſe par, & impar (6). Quarta conditio: *Contraria ſubjectum habent aliquando idem genere, aliquando idem ſpecie*. Ita *morbus*, & *ſanitas*, quæ ſunt in homine & in bellua, habent ſubjectum idem genere; *virtus*, & *vitium*, quæ ſunt in homine dumtaxat, habent ſubjectum idem ſpecie. Quinta: Contraria omnia aut eodem genere conſtant, ut *candor*, & *nigror*, quæ colori tamquam generi ſubjiciuntur: aut diverſa genera reſpiciunt, ut *juſtitia*, & *injuſtitia*, quarum altera ad virtutem refertur, altera ad vitium: aut ipſa ſunt genera, ut *virtus*, & *vitium*. Quintæ hujus conditionis doctrina vera eſt, ſi conſiderentur genera proxima. At in genere remoto verbi gr. in *qualitate*, contraria omnia conveniunt.

## *Quænam ſunt* Privantia?

℞. Privantia (Græce στερητικὰ) ſunt forma, & ejus privatio in ſubjecto utriuſque capaci, ut *viſus*, & *cæcitas*. Si ſubjectum alterius capax non ſit, dicitur negatio

(5) Id fieri non poſſe contendit Gellius Noct. Attic. l. 6. c. 1. *quia contraria adverſo niſu fulta conſiſtunt*. Sed conditionem hanc recenſuit Ariſtoteles, ut oppoſitionem contrariorum diſtingueret ab ea, quæ eſt inter relata. Siquidem, relato uno poſito, ponitur neceſſario alterum.

(6) Alterutrum tamen horum ſemper eſſe oportet. Quo ex loco ita concludit Cicero in Philipp. 8. cap. 1. *Cum inter bellum, & pacem medium nihil ſit, neceſſe eſt tumultum, ſi belli non ſit, pacis eſſe*.

gatio, non privatio; ut *cæcitas* in animali dicitur privatio viſus, in lapide negatio. (7)

*Quænam ſunt* Contradicentia? (8)

℞. Contradicentia ( Græce ἀντιφατικὰ ) ſunt, quæ invicem pugnant ajendo & negando, ut *ſapit*, *non ſapit*. Et quia hic agitur de contradictione ſimplicis vocis, non enunciationis, oppoſitio contradicens dici poteſt *eadem vox ajens*, & *negans*. (9)

Prioris *modi quot ſunt?*

℞. Quinque modis aliquid dicitur *prius*. Primo aliquid eſt prius *tempore*, hoc eſt vetuſtius; ut Socrates eſt prior Ariſtotele. Secundo aliquid eſt prius *natura*; ut quod ratiocinando infertur ex alio, eſt prius illo. Ita genus eſt prius ſpecie, quia poſita ſpecie infertur genus, non contra. Nam ſi dicas, eſt

(7) Vim iſtiuſmodi negationis deſcribit Cicero Tuſcul. 1. cap. 36. *Cum non habeas, quod tibi nec uſu, nec natura ſit aptum, non careas, etiam ſi ſentias, te non habere.* Idem de privantibus Topic. c. 11. *Sunt alia contraria, quæ privantia licet appellemus Latine, Græce appellantur* ϛερητικὰ. *Præpoſitio enim IN privat verbum ea vi, quam haberet ſi IN præpoſitum non fuiſſet; ut dignitas, indignitas, &c.*

(8) Vulgo *Contradictoria* dicuntur. A Cicerone vocantur *diſparata* in lib. 1. de Invent. cap. 28. *Diſparatum eſt id, quod ab aliqua re per oppoſitionem negationis ſeparatur, hoc modo ſapere, & non ſapere.* In Topicis dicuntur *negantia*. Sic enim ſcribit cap. 11. *Sunt etiam illa valde contraria, quæ appellantur negantia. Ea* ἀποφατικὰ *Græci, contraria ajentibus: ut, ſi hoc eſt, illud non eſt.*

(9) Oportet, ut non modo eadem ſit vox, ſed etiam eadem vocis ſignificatio, non ambigua. In quo luſit Martialis l. 8. epigr. 20.

*Cum facias verſus nulla non luce ducentos,*
*Vare, nihil recitas. Non ſapis, atque ſapis.*

eſt *platanus*, recte infers, *ergo arbor*: ſi dicas, *eſt arbor*, non potes inferre, *ergo platanus*. Tertio aliquid eſt prius *ordine*, ut in oratione exordium eſt prius narratione. Quarto aliquid eſt prius *dignitate*, ut rex populo, dux milite. Quinto aliquid eſt prius *cauſſa*, ideſt quod efficit, ut alterum ſit. Hoc modo veritas rei eſt prior veritate orationis; quia hæc oritur ab illa. Diſticho memoriæ cauſſà rem totam comprehendo:

*Dicitur eſſe prius* natura, tempore, honore,
Ordine *cum* cauſſa *dicitur eſſe prius*.

*Quinam ſunt modi, quibus dicitur* Simul?

℞. Tribus modis aliqua dicuntur eſſe *ſimul*. Primo *tempore* ea ſunt ſimul, quorum ortus eodem tempore eſt, cujuſmodi ſunt *gemelli*. Secundo *natura* ea ſunt ſimul, quorum unum neceſſe eſt eſſe, ſi alterum ſit, ſed neutrum eſt cauſſa alterius; ut *duplum*, & *dimidium*. Nam ſi *duplum* eſt, *dimidium* quoque eſt, & contra. Tertio *diviſione* ea ſunt ſimul, quæ ejuſdem generis partes ſunt; ut *homo*, & *bellua*, quæ *animal* dividunt in duas ſpecies. (10)

*Cur tradit Ariſtoteles doctrinam hanc de modis* Prioris, *&* Simul?

℞. Tradit in gratiam relatorum, quæ dixerat eſſe ſimul



(10) Sunt etiam quædam ſimul *loco*, ſimul *motu*, &c. Sed Ariſtoteles non ſibi propoſuit diſtinguendos niſi modos illos, qui ad rem ſuam facerent.

ſimul natura & cognitione. Porro ex modis *Prioris*, colligi etiam poſſunt modi *Poſterioris*. Siquidem contrariorum contraria eſt ratio.

*Quot ſunt ſpecies* motus?

℟. Sex omnino. *Ortus*, *interitus*, *auctio*, *diminutio*, *immutatio*, *tranſlatio*, quarum explicatio ad Phyſicum pertinet. Hic recenſentur, quatenus per eas Logicus reſpondet interroganti de qualibet affectione rei, quæ movetur. Atque *ortus* quidem, & *interitus* ſubſtantiæ ſunt; *auctio*, & *diminutio* quantitatis; *immutatio* qualitatis; *translatio* loci. (9)

*Cur numerat hic ſpecies* motus *Ariſtoteles*?

℟. Scilicet quia actio, & paſſio fiunt, ac definiuntur per motum. Itaque omnis naturæ actio, & paſſio in his ſex motibus ſpectatur, & per eos cognoſcitur. Adde quod ſinguli pertinent ad peculiarem aliquam categoriam, quæ ab iis lucem capit.

*Quot modis uſurpatur verbum* habere?

℟. Octo ſunt modi apud Ariſtotelem, quibus aliqua haberi dicuntur. Primo haberi dicitur *qualitas*, ut

(9) Quæ a nobis *immutatio* dicitur, vulgo in Scholis Peripateticis vocari ſolet *alteratio*, a græca voce Ἀλλοίωσις. Porro nutritionem non memorat Ariſtoteles, quia refertur ad generationem, & eodem modo ſubſtantiam mutat: ideoque eadem ratione reſpondetur interroganti de illa.

ut ſcientia. Secundo *quantitas*, ut magnitudo bipedalis. Tertio ea, *quæ circa corpus ſunt*, ut gladius. Quarto ea, *quæ in parte corporis ſunt*, ut annulus in digito. Quinto *pars* haberi dicitur, ut pes. Sexto id, quod in alio *continetur*, haberi dicitur ab illo, ut vinum a dolio. Septimo *res poſſeſſa*, ut domus. Octavo *uxor* haberi dicitur, qui modus eſt maxime improprius. (10)

***Cur recenſentur ſignificationes hujus verbi?***

℟. Ut liberetur ab ambiguitate Categoria *Habitus*, & cognoſcatur germana ejus ratio: tum etiam ut lux accedat reliquis Categoriis, quarum eſt *habere*, & *haberi*. (11)




(10) Huc pertinet illud, quod eſt apud Lactantium lib. 3. c. 15. *Ariſtippo Cyrenaicorum magiſtro, cum Laide nobili ſcorto fuit conſuetudo: quod flagitium gravis ille philoſophiæ doctor ſic defendebat, ut diceret, multum inter ſe, & ceteros Laidis amatores intereſſe, quod ipſe haberet Laidem, alii vero a Laide haberentur.*

(11) Si proprie loquamur, ſoli ſubſtantiæ convenit *habere*, reliquis *haberi*.

# PARTIS SECUNDÆ
# MANTISSA
## DE PLATONICORUM, ET STOICORUM CATEGORIIS.

*Quænam ſunt Platonicorum Categoriæ?*

℟. SEptem ſunt, quæ multis ætatis noſtræ Dialecticis ſupra Ariſtotelicas placuerunt; *ſpiritus*, *corpus*, *quantitas*, *figura*, *motus*, *quies*, *ſitus*. Atque duæ quidem primæ ad ſubſtantiam referuntur, reliquæ ad ſubſtantiæ modos ſeu affectiones. (1)




Ex-

(1) Alcinous in Inſtitut. ad doctrin. Platon. c. 5. ſcribit, Platonem in Parmenide & in aliis Dialogis decem Categorias, quas hactenus ex Ariſtotelis doctrina explicuimus, quaſi adumbraſſe. Plotinus in libro de generibus entis quinque conſtituit ex Platonis ſententia Categorias, *eſſentiam*, *ſubſtantiam*, *motum*, *ſtatum*, *quietem*.

*Explica mihi ſingulas, earumque gradus.*

℟. Subſtantia apud Platonicos vel eſt cogitans, & dicitur *mens*, ſeu *ſpiritus*; vel extenſa, & dicitur *materia*, ſeu *corpus*. *Spiritus* vel eſt ſumme perfectus, & dicitur *Deus*; vel imperfectus, iſque duplex; vel corpori adjunctus, ut *mens humana*, vel a corpore liber, ut *Angelus*. *Corpus* vel eſt vitæ expers, ut *cœlum*, & *elementa*; vel vita præditum, non tamen ſenſu, ut *planta*; vel vita, & ſenſu, ut *bellua*; vel vita, ſenſu, & ratione, ut *homo*.

*Quinam ſunt ſubſtantiæ modi apud* Platonicos?

℟. Ad modos quod attinet, alii ſunt modi ſubſtantiæ ſpiritalis, alii corporeæ. Priores ſunt *perceptiones mentis*, *& voluntatis inclinationes*. Poſteriores quinque admodum numerantur, qui reliquas conſtituunt Categorias. Primus eſt *quantitas*, hoc eſt certa quædam corporis menſura & magnitudo, quæ mutari poteſt, minime mutata rei ſubſtantia. Secundus *figura*, hoc eſt exterior configuratio, quæ item incolumi corporis eſſentia variari poteſt. Tertius eſt *motus*, hoc eſt tranſitus corporis a loco in locum, qui minime variat corpus ipſum. Quarto *quies*, hoc eſt immotus corporis ſtatus in eodem loco; ex quo tamen ſine ſui interitu excitari ad motum poteſt.

Quintus eſt *ſitus*, hoc eſt certa quædam partium collocatio, eademque externa, neque ad naturam & eſſentiam rei pertinens. (2)

*Quænam ſunt Stoicorum* Categoriæ?

℞. Stoici ſtatuebant *Aliquid* tamquam princeps & ſummum genus rerum omnium. Hoc dividebant primo quidem in *Corporalia*, & *Incorporalia*; ideſt in ea, quæ ſunt, & quæ non ſunt: ſiquidem ſola corpora eſſe putabant; reliqua imaginem quamdam in mente noſtra habere dicebant, non ſubſtantiam. Deinde primum illud genus enucleatius evolventes, faciebant capita quatuor, *ſubjecta*, *qualia*, *quodammodo ſe habentia*, *ad aliquid quodammodo ſe habentia*. (3)

*Quod-*

(2) Apud Senecam ep. 58. ſex numerantur Platonis Categoriæ. *QUOD EST*, inquit, *ſex modis a Platone dici*, *amicus noſter homo eruditiſſimus hodierno die dicebat*. Vide ibi reliqua, quibus ſex iſti modi comprehenduntur, *ens cogitabile*, ut ſubſtantia; *ens per excellentiam*, hoc eſt Deus; *quod proprie eſt*, ideſt idea poſita extra res omnes, & ante res omnes; *forma ab idea ſumta*, *& operibus impoſita*, ideſt Idos; *quæ communiter ſunt & ſenſibus ſubjiciuntur*, ut corpora quælibet; *quæ quaſi ſunt*, ut tempus & inane. Apulejus de doctr. Plat. τὸ ὂν dividit in duo ſumma capita, quibus ſex illa modo memorata continentur.

(3) Seneca ep. 58. *Primum genus Stoicis quibuſdam videtur Aliquid*. *Sed quare videatur*, *ſubjiciam*. *In rerum*, *inquiunt*, *natura quædam ſunt*, *quædam non ſunt*: *ex his autem*, *quæ non ſunt*, *rerum natura complectitur quæ animo ſuccurrunt*, *tamquam Centauri*, *Gygantes*, *& quidquid aliud falſa cogitatione formatum*, *habere aliquam imaginem cæpit*, *quamvis non habeat ſubſtantiam*. Simplicius in Ariſtotelis Categ. *Ex his Stoici*, *qui diligentiores videntur*, *quadrifariam diſtribuerunt*, *in ſubjecta*, *qualia*, *quodammodo ſe habentia*, *& ad aliquid quodammodo ſe habentia*. Conſule etiam Plotinum lib. 1. de gener. entis.

*Quodnam judicium ferendum eſt de Stoicorum Categoriis?*

℟. Stoicorum Categoriæ, atque adeo tota illorum diſſerendi ars olim dominata in ſcholis eſt. Quo tempore Peripateticos ipſos, a quibus optima quæque Stoici ſumſerant, conticeſcere coegerunt; nomenque commune ita ſibi fecere proprium, ut ſoli per quamdam excellentiam Dialectici vocarentur. Itaque & Cicero hac in parte fere totus Stoicus eſt, & ipſi quoque nobiliſſimi Academici Arceſilas & Carneades a Stoicis, tametſi adverſariis ſuis, Dialecticam didicerunt. Nunc Stoicus diſſerendi modus penitus intercidit. (4)



(4) Cicero audivit a puero Diodorum, & poſtea familiarem habuit Poſſidonium, utrumque Stoicum. Arceſilas auditor fuit Diodori, Carneades Diogenis Stoici. Non eſt autem mirum, Stoicos tantopere excoluiſſe Dialecticam, quia (ut ſcribit Alexander Aphrodiſ. ad lib. 1. Topic.) *proprium philoſophi exiſtimabant bene diſſerere, idque perfectiſſimæ eſſe philoſophiæ jactabant: ideoque ex illorum ſententia philoſophus non erat, niſi Dialecticus.*

# PARS III.

## DE ANALYTICIS POSTERIORIBUS.

EGo in hac Organi Ariſtotelici parte aliquantum & mihi & ſæculo indulſi. Itaque *textus*, ut appellant, ſuis notis ſignavi; nequis Ariſtotelis ſtudioſus inter aliena Ariſtotelem quærat. Tum ipſam quoque Ariſtotelis doctrinam alia quadam via & ratione diſtribui, quæ mihi ad docendum & diſcendum commodior viſa eſt. Ceterum moneo, in Poſterioribus Analyticis principia contineri totius Peripateticæ Philoſophiæ. Hæc, niſi fallor, adverſus Academicos ea tempeſtate late dominantes ſcripta eſt; quorum alii plane Socratici nihil ſciri poſſe dicebant, alii πλατωνίζοντες ſcientiam omnem ad quamdam reminiſcentiam referebant. Qui, quod dico, mature perpendet, totumque Ariſtotelis inſtitutum ad hanc amuſſim exiget; mirari deſinet, cur magnus hic Philoſophus notionibus Metaphyſicis, quæ ſolæ clariſſimæ & inexpugnabiles ſunt, ideoque ad demonſtrandum idoneæ, in ipſa quoque Phyſica uſus ſit.

CA-

# CAPUT I.

## DE OPERIS RATIONE ET MATERIA.

### *QUID EST ANALYSIS APUD LOGICOS?*

℞. Analyſis eſt quæſtionis, aut ſyllogiſmi in ſua principia reſolutio. (1)

*Quotuplex eſt Analyſis?*

℞. Duplex, una quæ dicitur *conſequentiæ*, altera *conſequentis*. *Conſequentia* porro eſt notionum atque enunciationum inter ſe colligatio ad perfectum ſyllogiſmum componendum. *Conſequens* ſunt notiones ipſæ & enunciationes perfectum ſyllogiſmum componentes. Illa reſpicit formam, hoc materiam. Reſolvimus igitur ſyllogiſmum per *analyſim conſequentiæ*, cum, forma ejus per partes ſingulas diligenter excuſſa, firmum eſſe oſtendimus; propterea quod notionibus atque enunciationibus conſtet, ex arte connexis ad *modorum* & *figurarum* leges. Eumdem autem reſolvimus per *analyſim*

(1) Eſt a Græco ἀναλύω, *reſolvo*. Et quia iſtiuſmodi *reſolutio* adhibetur fere ad ea expendenda & judicanda, quæ reſolvuntur, iccirco etiam *Critice* appellari ſolet. Analyſis lib. 3. Ethic. c. 3. dicitur *cauſſarum ex cauſſis continuata eo uſque perſequutio*, *donec ad prima ejus rei*, *de qua quæritur*, *elementa perveniamus*.

Digitized by Google

*ſim conſequentis*, cum, ejus materia eodem modo excuſſa, firmum eſſe oſtendimus; propterea quod notionibus atque enunciationibus conſtet veris ac neceſſariis, ex quibus tamquam cauſſis oriatur concluſio, & ex concluſione ſcientia. Hinc *Analytici* Ariſtotelis libri *Priores* ac *Poſteriores*. In *Prioribus* agitur de *analyſi conſequentiæ*, in *Poſterioribus* autem de *analyſi conſequentis*: quia *conſequentia* eſt prior & latius fuſa, quam *conſequens*; cum illa ad omnem ſyllogiſmum pertineat, hoc dumtaxat ad demonſtrativum & neceſſarium. *Priorum* doctrinam in tertia Rudimentorum parte concluſimus; nunc de *Poſterioribus*. (2)

*Quænam eſt Poſteriorum Analyticorum materia?*

℞. Nobiliſſima ſyllogiſmi ſpecies, ideſt Demonſtratio. Et in primo quidem libro de natura & ratione Demonſtrationis agitur; in altero de Definitione, quatenus Demonſtrationis medium & inſtrumentum eſt. (3)

*Qui-*

(2) *Priorum* & *Poſteriorum* titulus increbuit ætate Galeni. Ceterum Ariſtoteles cum *Priorum* meminit, libros *de ſyllogiſmo* dicit; cum *Poſteriores* nominat, libros de *Demonſtratione* vocat.

(3) *Demonſtrationis* nomen plerumque refertur ad materiam, nomen *ſyllogiſmi* plerumque ad formam. Ex utroque fit *ſyllogiſmus Demonſtrativus*. Porro *demonſtrare* eſt rem veluti digito oſtendere; quia enunciata, ex quibus *demonſtratio* conſtat, ita debent eſſe perſpicua, ut nulla probatione nulloque teſtimonio indigeant. A Græcis dicitur ἀπόδειξις, a Cicerone *argumenti concluſio* in Acad. 4. c. 8. *Argumenti concluſio, quæ eſt Græce ἀπόδειξις, ita definitur: ratio, quæ ex rebus perceptis ad id, quod non percipiebatur, adducit.*

*Quinam eſt horum librorum finis?*

℟. Tota hæc Ariſtotelis doctrina eo ſpectat, ut denique efficiatur adverſus Academicos dari ſcientiam per demonſtrationem acquiſitam. (4)



(4) *Analytica* doctrina ita propria Ariſtotelis eſt, ut ipſum quoque *Analyſeos* vocabulum primus ad Dialecticos traduxerit, cum antea Geometricum eſſet.

# CAPUT II.

## DE PRÆNOTIONIBUS DEMONSTRATIONIS.

### *QUÆNAM SUNT ANTE DEMONSTRATIONEM COGNOSCENDA?*

℟. DEmonſtrare volenti tenendæ ſunt *prænotiones* quædam, & *præcognita*, quæ concluſionem partim regunt, partim efficiunt. Huc enim pertinet illud Ariſtotelis, (†) *Scientiam omnem, quæ ratiocinando comparatur, ex anticipata cognitione fieri*. (1) Ex quo apparet, ea quæ hoc modo addiſcuntur, (††) etiam ante concluſionem quodammodo ſciri; quia virtute & poteſtate quadam continentur in præcognitis. (2) *Quid*

† *L. 1. t. 1.*
†† *L. 1. t. 6. & 7.*

(1) Hoc ipſum ſcribit in l. 6. Ethic. c. 3. Quia demonſtrare eſt rem ignotam & obſcuram patefacere: quod fieri nequit, niſi præluceant anticipatæ quædam cognitiones tamquam faces. Ibi autem *præcognita* vocat communes notiones & axiomata univerſalia, ex quibus fit ſyllogiſmus ad cognoſcendum id, quod quæritur.

(2) Per hanc doctrinam ſolvitur ſophiſma Menonis apud Platonem, quod erat hujuſmodi: *Quod quæris ad cognoſcendum, vel ſcis, vel neſcis; ſi ſcis, fruſtra quæris; ſi neſcis, etiam cum invenies, non agnoſces*. Reſpondendum eſt, quod quæritur, partim ſciri, quia continetur in præcognitis; partim neſciri, quia nondum per demonſtrationem erutum ex illis eſt. Scholaſtici ajunt, ſciri cognitione confuſa; neſciri cognitione diſtincta. Id totum oritur ex vi concludendi. Eſt autem concludere nihil aliud, quam ex toto, quod principii rationem habet, partem aliquam ratiocinando decerpere. Porro quis non videt, ab eo, qui totum tenet, partem quoq. ipſam aliquo modo teneri?

*Quid & quotuplex eſt Prænotio?*

℞. Prænotio eſt anticipata cognitio. Duæ autem ſunt prænotiones, *an ſit*, & *quid ſit*. Utraque bifariam dividitur. Nam *quid ſit* modo nomen rei ſignificat, modo rei eſſentiam. Hinc formulæ apud Scholaſticos *quid nominis*, & *quid rei*. Ita *an ſit* modo refertur ad rei exiſtentiam, modo ad veritatem. Nam ſi res ſit una & ſimplex, de ea prænoſcitur, *an ſit* in rerum natura; ut an ſit eclipſis. Sin autem ſit complexa, cujuſmodi eſt enunciatum quodlibet, de ea prænoſcitur, *an ſit* vera.

*Cedo mihi rationem aliquam hujus diviſionis.*

℞. Cum omnis prænotio referatur ad quæſtionem, tot poſſunt prænoſci, quot poſſunt quæri. (3) At de re qualibet vel quæri poteſt exiſtentia, ideſt *an ſit*; vel eſſentia, ideſt *quid ſit*; vel affectio, ideſt *qualis ſit*, & *cur talis ſit*. Si quæratur exiſtentia, prænoſci debet nomen; quia ante exiſtentiam nihil eſt niſi nomen. Si quæratur eſſentia, prænoſci debet *an ſit*, ideſt exiſten-

(3) Ad quæſtionem ſolvendam in ea ipſa inveniendum eſt aliquid, quod nobis ſit notum; ut ex eo perſpicuum faciamus, quod nobis eſt ignotum. Si reſoluta quæſtione in elementa ſua, nihil eſt ex illis, quod prænoſcamus, caremus inſtrumento ad aperiendum quod quæritur: velut ſi cæcus quæſtionem de coloribus reſolvat & examinet.

ſtentia. Si quæratur affectio, prænoſci debet *quid ſit*, ideſt eſſentia. (4)

*Quænam ſunt Præcognita*)

℟. Quemadmodum *prænotiones* ſunt modi prænoſcendi, ita *præcognita* ſunt res, quæ prænoſcuntur. († † †) Tria autem in qualibet ratiocinatione ſunt præcognita: *Subjectum* concluſionis; *Prædicatum* ejus; & *Principia*, ex quibus aliquid concludendo efficitur; quæ uno nomine dicuntur *antecedens*. De *principiis* prænoſcere oportet, *an ſint vera*, quia ſunt enunciata. (5) De *prædicato* prænoſcere oportet *quid ſit*. De *ſubjecto* prænoſcere oportet, *quid ſit*, & *an ſit*. (6)

C A-

† † † *L.* 1. *t.* 76.

(4) Hæc ex ſententia Themiſtii; quo uno nemo felicius Analyticam doctrinam ex Interpretibus Græcis explicuit. Ceterum de ordine prænotionum, & quæſtionum inter ſe alii aliter. Illud animadvertendum eſt, nominis cognitionem ita eſſe prænotionem, ut numquam poſſit eſſe quæſtio; quia nihil illam præcedit, per quod ſolvatur: quæſtionem *cur ſit* ita eſſe quæſtionem, ut numquam poſſit eſſe prænotio; quia nihil illam conſequitur.

(5) Hæc ſunt præcognita, quæ a Cicerone vocantur *perſpicua* lib. 4. de Fin. c. 4. *Jam argumenti ratione concluſi caput eſſe faciunt ea, quæ perſpicua dicunt*. In his tamquam ſeminibus latent cetera, quæ cognoſcuntur diſputando.

(6) Ex. gr. ſit quæſtio, *num materia cogitet*. Regitur hoc principio: *Quod extenſum eſt, cogitare nequit*. De hoc prænoſcere oportet, *an ſit verum*. Subjectum eſt *materia*, de qua prænoſci debet, *an ſit*, & *quid ſit*. Prædicatum eſt *cogitatio*, de qua ſatis eſt prænoſcere, *quid ſit*. Nam *an ſit* in materia, debet apparere per ipſam demonſtrationem. Porro cum prædicatum ſit ſemper affectio aliqua, ut poſtea apparebit, idem eſt de ea quærere *an ſit*, ut nos dicimus; atque *an inſit*, ut quidam dicere malunt.

# CAPUT III

## DE PLATONIS, EPICURI, & STOICORUM PRÆNOTIONIBUS.

*PLATO ADMITTIT NE PRÆNOTIONES?*

℞. CUm Platonis ſcientia nihil ſit aliud, quam reminiſcentia, ut poſtea dicemus, non indiget prænotionibus, ſed notionibus. Admittit igitur Plato in hominum animis notiones rerum omnium, quas ἐννοίας vocat; eaſque in illis conſignatas fuiſſe putat, antequam in corpora migrarent. Ex quo apparet diſcrimen ſcientiæ Platonicæ, & Ariſtoteleæ. Nam mens, ut Platoni videtur, non cognoſcit ratiocinando ignotum per notum, nec efficit unum ex alio; ſed quaſi admonita per hæc ſenſibilia, ſeſe colligit; & agnoſcit reminiſcendo, quæ in corpus attulerat.

*Quænam ſunt Epicuri prænotiones?*

℞. Epicurus totam Dialecticam ſuam paucis regulis

lis complexus eſt, quos Canonas dixit. ( 1 ) Ex his quoſdam refert ad ſimpticem perceptionem, quoſdam ad ratiocinationem. Qui ad ratiocinationem pertinent, prænotiones complectuntur; quia nemo poteſt niſi ex præcognitis ratiocinari. Prænotio igitur, Græce πρόληψις, ex doctrina Epicuri eſt ſpecies quædam animo comprehenſa, & quaſi monumentum ejus rei, quæ ſenſibus noſtris aliquando objecta eſt, aut ope ſenſuum a nobis formata; ut ex illa rem quamlibet individuam generis ejuſdem cognoſcere, nominare, diſtinguere, judicare poſſimus. ( 2 ) *Cedo*

( 1 ) Neque enim contemſit Epicurus Dialecticam omnem, ſed Stoicam dumtaxat, tamquam Sophiſticam & coptioſam. Sex. Empiricns l. 1. adverſ. Logic. n. 14. φασὶ, μὴ κοινῶς αὐτὸν τὴν λογικὴν περιτρῆσθαι, μόνην δὲ τὴν τῶν Στωικῶν. Attamen Diogenes Laert. in Vita Epic. ſcribit, Dialecticam artem ab epicureis tamquam ſupervacaneam fuiſſe rejectam. Coacti tamen ea uti ad recte diſputandum, ne leves viderentur, nomen mutarunt, & Phyſicæ partem fecerunt. Seneca epiſt. 89. *Deinde cum rebus ipſis cogerentur ambigua ſecernere, falſa ſub ſpecie latentia veri coarguere, ipſi quoque locum, quem de judicio, & nomine apeliant, Rationalem induxerunt: ſed eam acceſſionem eſſe naturalis partis exiſtimant.*

( 2 ) *Notitia* dicitur a Cicerone in Acad. 4. c. 7. *Quo e genere nobis notitiæ rerum imprimuntur, ſine quibus nec intelligi quicquam, nec quæri aut diſputari poteſt. Quod ſi eſſent falſæ notitiæ (* ἐννοίας *enim notitias appellare tu videbare ) ſi igitur eſſent hæ falſæ, aut ejuſmodi viſis impreſſæ, qualia viſa a falſis diſcerni non poſſent, quo tandem his modo uteremur?* Admiſit etiam Epicurus πρόληψιν Deorum, quæ eſſet a natura, non ab exercitatione ſenſuum, ſi Vellejo credimus apud Ciceronem l. 1. de nat. Deor. c. 16. *Solus vidit primum eſſe Deos, quod in omnium animis eorum notionem impreſſiſſet ipſa natura. Quæ eſt enim gens, aut quod genus hominum, quod non habeat ſine doctrina anticipationem quamdam Deorum? quam appellat* πρόληψιν *Epicurus, ideſt antecepſtam animo rei quamdam informationem, ſine qua nec intelligi quidquam, nee quæri, nec diſputari poteſt.*

*Cedo mihi quomodo gignatur in nobis hæc forma.*

℞. Quatuor gignitur modis, *incurſione*, *proportione*, *ſimilitudine*, *compoſitione*. Atque *incurſione* quidem tunc gignitur, cum res externa incurrit in ſenſus noſtros; & ex ea imaginem ducimus, ductamque in nobis recondimus. Hujuſmodi eſt imago hominis, hauſta ex homine coram ſpectato, imago equi hauſta ex equo, imago canis hauſta ex cane. *Proportione* gignitur, cum imago ita comprehenſa amplificatur, aut minuitur; ut ſiquis hominis formam in Gigantem deformet, aut Pygmæum. *Similitudine*, cum imaginis inſtar jam perceptæ aliam effingimus. *Compoſitione*, cum quas duarum aut plurium rerum diſtinctas notiones habemus, in unam componimus. (3) Porro non ſingularum modo rerum formas effingimus animo, ſed ex his communes notiones, & communia axiomata nobis formamus, per quæ definimus, & ratiocinamur. (4)



(3) Exemplum compoſitionis poteſt eſſe monſtrum deſcriptum ab Horatio initio Epiſtolæ ad Piſones.

*Humano capiti cervicem pictor equinam*
*Jungere ſi velit, & varias inducere formas,*
*Undique collatis membris, ut turpiter atrum*
*Deſinat in piſcem mulier formoſa ſuperne.*

(4) Cicero Acad. 4. c. 10. *Mens alia viſa ſic arripit, ut his ſtatim utatur; aliqua recondit, e quibus memoria oritur; cetera autem ſimilitudinibus conſtituit, ex quibus efficiuntur notitiæ rerum, quas Græci cum ἐννοίας, tum προλήψεις vocant.*

*Stoici utunturne Prænotionibus?*

℞. Stoicorum prænotiones ſunt ſenſuum viſa, viſorum comprehenſio, & quæ hinc gignuntur in animis notiones. (5)

*Evolve formulas iſtas.*

℞. *Viſum* eſt impulſio rerum externarum in ſenſus noſtros; (6) *Comprehenſio* eſt mentis operatio viſum capientis ac tenentis; quod apparet ex ipſa voce, quæ a Græcis dicitur κατάληψις. *Notio* eſt forma quædam hinc effecta, & animo conſignata, ita prorſus, ut diximus de notionibus Epicureis. (7)

CA-

(5) Hinc D. Auguſtinus ex ſententia Stoicorum ſcribit l. 8. de Civ. Dei c. 7. animum a ſenſibus concipere notiones, ex quibus propagatur tota docendi diſcendique ratio. Et Cicero de ſenſibus loquens in Acad. 1. c. 11. *Natura quaſi normam ſcientiæ, & principium ſui dedit; unde poſtea notiones rerum in animis imprimerentur, e quibus non principia ſolum, ſed latiores quædam ad rationem inveniendam viæ aperiuntur.*

(6) Ex impulſione hac fieri dicunt Stoici impreſſionem in principe animæ parte, cujus eſt aſſentiri: Sed quomodo fiat impreſſio hæc, diſſident Cleanthes, & Chryſippus, ejus ſcholæ principes. Habes illorum opiniones apud Sex. Empir. l. 1. adverſus Log. n. 228. & 372, & lib. 2. n. 400.

(7) Viſum, ex doctrina Stoicorum apud Sex. Empiricum l. 1. adv. Logic. n. 245. & ſeqq. vel oritur ab eo, *quod eſt*, & illud fideliter repræſentat: vel oritur ab eo, *quod non eſt*; illudque repræſentat; cujuſmodi ſunt viſa ſomniantium & delirantium: vel oritur ab eo, *quod eſt*, ſed repræſentat id, *quod non eſt*; cujuſmodi erat viſum Oreſtis apud Euripidem, quod oriebatur ab Electra, ſed Furiam repræſentabat. Primum dumtaxat eſt illud, unde oritur ſcientia; & vim habet prænotionis.

# CAPUT IV.

## DE PRINCIPIIS.

### *PRINCIPIA SUNTNE UNIUS ET EJUSDEM RATIONIS?*

℞. PRincipia in cap. 2. libri primi dividuntur in *Theſim*, & *Axioma*. (†) *Theſis* rurſus dividitur in *Hypotheſim*, & *Definitionem*. *Axioma* eſt principium per ſe notum, quod nec demonſtrari, nec declarari debet aut poteſt; ut hoc, *Totum eſt majus qualibet ſui parte*. (1) *Hypotheſis*, & *Definitio* non demonſtrantur, in quo conveniunt cum *Axiomate*; poſſunt tamen, & interdum etiam debent declarari, in quo ab eo differunt. Eſt autem *Hypotheſis*, quæ ponit aliquam rem eſſe, vel non eſſe; ut *eſſe motum*, *non eſſe vacuum*. (††) *Definitio* eſt, quæ ponit, quid res ſit; ut *quid ſit motus*, *quid vacuum*. (†††) His in capite decimo addit Ariſtoteles *Poſtulatum*, quod parum differt ab *Hypotheſi*. Idem enim principium ſi facile admittitur, & verum videtur tum docenti, tum diſcenti, dicitur *Hypotheſis*: ſi verum diſcenti non videtur, ap-



† *L.* 1. *t.* 14. & 15.
†† *L.* 2. *t.* 44. 46.
††† *L.* 1. *t.* 77. 78. 79. 80.

(1) Axioma hoc demonſtrari poſſe videtur Malebranchio in lib. 4. de inq. ver. c. 11. per aliud axioma longe certius & ſimplicius. Idem demonſtratur per definitionem *majoris* ab Hobbes in Philoſ. prima Par. 2. c. 8. Hinc ſequitur, ſolam definitionem verum eſſe demonſtrandi principium, ut dicemus in cap. 24. quia illa nihil eſt prius, per qnod demonſtretur.

pellatur P*oſtulatum*; quod Magiſter veluti poſtulet, ut admittatur. Ponuntur porro principia hæc ante diſputationem, præſertim a Mathematicis, qui ſe perſpicue diſputare profitentur. (2)

*Cur dixiſti axiomata demonſtrari non poſſe?*

℟. Quia nihil eſt ante illa, quod anticipatæ cognitionis locum teneat, ſine qua nulla eſſe demonſtratio poteſt. (††††) Itaque *cognitionis principia* dicuntur. (3)

CA-

†††† *L. 1. t. 73.*

(2) *Theſis* in lib. 1. Topic. c. 11. accipitur pro ſpecie quadam problematis, quod adverſatur opinioni communi conſenſu probatæ; interdum etiam pro quovis problemate ſumitur.

(3) *Axioma* eſt communis ſententia, a Græco ἀξιόω *judico*, *dignum cenſeo*; ideoque quidam *dignitatem* dicunt, ſeu *honorariam ſententiam*: qua de re vide Muretum var. lect. l. 6. c. 2. Stoici quamlibet enunciationem *axioma* vocabant, ut eſt apud Gellium lib. 16. c. 8. apud Ciceronem de Fato c. 10. & in Acad. 4. c. 29. Id faciebant, opinor, quia omnis Dialectica enunciatio *judicium* continet.

# CAPUT V.

## DE MODO COGNOSCENDI PRINCIPIA.

*QUOMODO PRINCIPIA COGNOSCUNTUR?*

℟. PRincipia neque innata dici debent, ut putant Platonici: (†) nam ſi innata eſſent, infantes quoque ea tenerent (1). Neque ratiocinando acquiſita: nam cognitio, quæ hoc modo comparatur, ex anticipata notitia fit; nihil autem eſt ante principia notum. Inductione igitur quadam & experientia rerum ſingularum formatur intelligentia principiorum. Nam ſenſus ſingularia percipit, & memoriæ committit; deinde ratio ea componit & comparat; unde oritur univerſale illud, quod axioma & commune cognoſcendi principium dicitur. (2)

*Quomodo a ſenſu, qui belluis communis eſt, talia ducis?*

℟. Tres ſunt animalium gradus. (††) Primus eſt eo-



† *L.* 2. *t.* 101. 102.
†† *L.* 2. *t.* 103. 104.

(1) Totum hoc Joannes Lokius ſumſit ab Ariſtotele, & ingenioſe amplificavit in l.2. de humana intelligentia c. 1.

(2) Principia ſyllogiſmi, quia ſunt univerſalia, cognoſcuntur inductione; principia inductionis, quia ſunt ſingularia, cognoſcuntur ſenſu. Hinc Ariſtoteles lib. 6. Ethic. c. 3. ſcribit, *univerſale eſſe ex inductione*, *ſyllogiſmum ex univerſali*.

eorum, quæ ſenſum habent, non memoriam; ideſt quæ præſentia ſentiunt, ſed præterita non tenent; cujuſmodi ſunt inſecta. Secundus eſt eorum, quæ non præſentia modo ſentiunt, ſed & præterita recordantur, ut bruta reliqua. Tertius eſt eorum, quæ præter ſenſum rerum præſentium, & memoriam præteritarum, habent nobiliorem quamdam facultatem, ideſt rationem, quæ res perceptas comparans & expendens, inde principia univerſalia deducit.

*Nonne ſaltem notiones quædam ſunt innatæ?*

℟. Plato, & qui Platonis philoſophiam hac ætate inſtaurarunt, ideas quaſdam mentibus noſtris conſignatas exiſtimant, quæ ſint veluti rudimenta omnis cognitionis ac ſcientiæ. Nos ratum habemus Ariſtotelicum illud, *Nihil eſt in intellectu, quin prius fuerit in ſenſu*: ac proinde notiones omnes, cujuſcumque ſint generis, per ſenſum & experientiam acquiri dicimus. Cum enim natura dederit nobis facultates ac vires ad quamlibet notionem comparandam; ægre admodum intelligi poteſt, quomodo notiones ipſas in animis noſtris inſculpſerit: quaſi vero, datis oculis ad colores videndos, aliquas inſuper colorum formas indiderit. Ex hoc ipſo colligimus, cognitionis principia & axiomata non eſſe in nobis a natura informata. Nam ubi non ſunt notiones, ne ipſa quidem poſſunt eſſe principia, quæ ex iis conſtant; quemadmodum non poteſt eſſe exercitus, ubi non ſunt milites.

*Quid*

*Quid cum Sacri Scriptores innata quædam eſſe dicunt?*

℞. Reverentia Sacris Scriptoribus debita poſcit, ut quoties innata quædam dicunt ad cognoſcendum vel agendum, ex æquo & bono illorum verba interpretemur. Interdum enim rationis & ingenii lumen, quod revera innatum eſt, capiunt pro notionibus & veritatibus illis, quæ maxime huic lumini conſentaneæ ſunt. Hinc fit, ut non aliquas modo noionest, ſed etiam axiomata interdum vocent innata quod naturæ in primis conformia ſint, quod omnibus nota & perſpicua, quod ipſo pæne cum lacte a teneris unguiculis arrepta, & memoriæ conſignata. (3)

*Cur Platonici ideas innatas admittunt?*

℞. Cur Plato & veteres illi a Platone, ideas innatas admitterent, facile intelligitur; quia cum ſibi perſuaderent, animas hominum ante corpora conditas fuiſſe, & in mundo quodam intelligibili collocatas, oportebat eas intelligendo & contemplando viguiſſe. At non apparet, cur noſtri, qui fatentur quamlibet animam in ſuo corpore condi, notiones quaſdam illi affigant, divinitus conſignatas; quibus nullus homo



(3) Sacrorum Scriptorum verba de Dei notione nobis innata, referri etiam poſſunt ad naturale quoddam & ingenitum cauſſarum cognoſcendarum deſiderium; ex quo fit, ut mundum aſpicere non poſſimus, quin de ejus cauſa cogitemus. De hoc deſiderio multa multis locis D. Thomas.

utatur, niſi cum ad eam ætatem pervenit, in qua eas ipſas notiones ſuis viribus ſibi comparare poteſt. (3)

CA-

(3) D.Auguſtinus, ut Platonis reminiſcentiam ideaſque nnatas cum religionis veritate conciliaret, ita ſcripſit lib.1.Retract.c.8. *In libro de Animæ quantitate quod dixi, omnes artes animam ſecum attuliſſe mihi videri, nec aliud quidquam eſſe, id quod dicitur diſcere, quam reminiſci ac recordari, non ſic accipiendum eſt, quaſi ex hoc approbetur, animam vel hic in alio corpore, vel alibi, ſive in corpore, ſive extra corpus, aliquando vixiſſe; & ea, quæ interrogata reſpondet, cum hic non didicerit, in alia vita ante didiciſſe. Fieri enim poteſt, ſicut jam in hoc* Opere *ſupra diximus, ut hoc ideo poſſit, quia natura intelligibilis eſt, & connectitur non ſolum intelligibilibus, verum etiam immutabilibus rebas; eo ordine facta, ut cum ſe ad eas res movet, quibus connexa eſt, vel ad ſe ipſam, in quantum eas videt, in tantum de his vera reſpondeat.*

# CAPUT VI.

## DE PRÆJUDICIIS.

### *CUR HIC DE PRÆJUDICIIS AGIS?*

℟. QUia multi loco principiorum adhibent præjudicia: & quia concluſiones principiis reſpondent, pro ſcientia germana & firma fallaces opiniones diſputando colligunt.

### *Quid eſt præjudicium?*

℟. Eſt judicium ante judicium, προκατάγνωσις, ideſt opinio quædam temere præcepta, penituſque inſita, per quam judicia de rebus noſtra fere depravantur. Quemadmodum enim oculi eum in rebus omnibus colorem videat, quo ipſi ſunt imbuti; ita mens, ſicuti affecta eſt, ita judicat. Opiniones iſtiuſmodi anticipatæ oriri ſolent primum quidem ex conſuetudine ſermonis a teneris contracta; deinde ex ignava quadam erga eos reverentia, in quorum diſciplinam nos dedimus; tum ex frequenti lectione deteriorum; poſtremo, ex uſu vivendi cum populo, & temere pronunciandi de re quavis. (1)

*Omnia*

(1) Præjudicatas hominum opiniones earumque cauſſas deſcribit Cicero in lib. 3. Tuſcul. quæſt. c. 1. *Simul atque editi in lucem & ſuſcepti ſumus, in omni continuo pravitate, & in ſumma opinionum perverſitate verſamur, ut pæne cum lacte nutricis errorem ſuxiſſe videamur. Cum vero parentibus red-*

*Omnia præjudicia ſuntne inter errores referenda?*

℞. Præjudicium non ſemper dici debet error; ſed interdum eſt cognitio quædam non plane certa & Philoſopho digna. Duo igitur facio præjudiciorum genera: primum eſt eorum, quæ ita falſa ſunt, ut eorum falſitas demonſtrari poſſit, cujuſmodi eſt vulgaris perſuaſio, *ſolem eſſe pedalem*: alterum eſt eorum, quæ ſunt incerta, nec ulla ratione fieri certa poſſunt, cujuſmodi eſt illud, *in luna eſſe montes*. Qui recte philoſophari cupit, poſteriora hæc deponere non debet, ſed eo ferri, ut aſſenſum ſuſtineat: at prima illa ſtatim ſunt abjicienda; tum quia ipſa per ſe errant; tum quia alios errores pariunt.

*Qua ratione cognoſcere præjudicia poſſumus, & abjicere?*

℞. Ita videlicet, ſi ad philoſophandum accedentes non ſolum ſtatuamus nihil in poſterum admittere, quod non ſit evidens ac perſpicuum; ſed illa quoque ipſa examini ſubjiciamus, quæ anteactæ vitæ conſuetudine temere arripuimus tamquam certa: uno verbo ſi dubitando philoſophemur.

CA-

*diti, demum magiſtris traditi ſumus, tum ita variis imbuimur erroribus, ut vanitati veritas, & opinioni confirmatæ natura ipſa cedat. Accedunt etiam Poetæ; qui cum magnam peciem doctrinæ ſapientiæque præ ſe tulerunt, audiuntur, leguntur, ediſcuntur, & inhæreſcunt penitus in mentibus. Cum vero accedit eodem quaſi maximus quidam magiſter populus, atque omnis undique ad vitia conſentiens multitudo, tum plane inficimur opinionum pravitate, a naturaque deſciſcimus.*

# CAPUT VII.

## DE DUBITATIONE.

### *QUID EST DUBITATIO?*

℟. EST cogitatio quædam fluctuans, qua mens in re aliqua hæret, nec videt, quo ſit inclinandum; tamdiuque ſe revocat & aſſenſum ſuſtinet, donec inſtaurato ſæpius examine, veritas illuceſcat.

### *Philoſophus debet ne de rebus omnibus dubitare?*

℟. Quidam de rebus omnibus dubitant, & undique rationes dubitandi quærunt; ut lucem rebus eripiant, noctemque offundant: unde *Aporetici* dicti ſunt a Græco ἀπορέω. Sed horum inſtitutum jam obſolevit. Alii de rebus omnibus ſibi dubitandum putant, ut præjudicia tollant; profitentes ſe initio dubitare, ut tandem aliquando dubitare deſinant. Atque iſti quidem qui hodie multis in ſcholis regnant, videntur nobis ſimiles Medicis illis, qui ut humores noxios ab humano corpore expellant, animam expellunt. Nos quidem primum dicimus, non eſſe dubitandum niſi de rebus illis, quas nos per nos ipſos cognoſcere volumus. Nam ſi quis de re aliqua ſibi imperavit credere alteri, is in ea minime debet eſſe dubius. Proinde ſtulte facit Chriſtianus, qui de ſuæ religionis arcanis dubitat; cum jam conſtituerit in ſacrarum lit-

litterarum teſtimonio conquieſcere. Deinde dicimus, ſiqua ſunt evidentiſſima, de iis dubitari neque debere, neque omnino poſſe. Quis enim dubitare poteſt, num ſit, num vivat, num cogitet? Poſtremo dicimus, utiliſſimum eſſe, atque adeo neceſſarium philoſophari volenti, illa omnia in dubium revocare, quæ nondum perſpicue cognoſcit. Philoſophi enim eſt ſcire, non credere. (1)

CA-

(1) Uſum & utilitatem dubitationis ad recte philoſophandum explicat Ariſtoteles in cap. 1. lib. 3. Metaphyſ. quod inſcribitur, Ἀπορίας χρῆσις, & περὶ ὧν ἀπορῆσαι δεῖ πρῶτον. *Dubitationis uſus, & quibus de rebus primum dubitare oporteat.*

# CAPUT VIII.

## DE AUCTORITATE.

### *NONNE QUIDAM AUCTORITATEM PRINCIPII LOCO HABENT?*

℞. QUidam alienis oculis credere malunt, quam ſuis. Itaque ſe alicui emancipantes, quem in philoſophando ſequantur, ejus auctoritatem principii loco habent. Hujuſmodi fuere vetuſtiſſimis temporibus Pythagorei, poſtea vero ipſi quoque Peripatetici, qui quaſi ſacramento adacti nihilo plus quærebant in qualibet controverſia, quam quid magiſter ſenſiſſet. (1)

*Quid igitur ſentis de auctoritate?*

℞. Auctoritas principii loco eſt, quoties de rebus agitur ad religionem pertinentibus; quæ quidem non ratione, ſed teſtimonio nituntur. At cum res in controverſiam veniunt, quæ ſunt a ratione haurien-dæ,

(1) Plato & Platonici aliam viam inibant. Clemens Alexandr. l. 1. Strom. p. m. 290, Ὁ φιλαλήθης πλάτων, οἷον θεοφορούμενος, ἐγὼ τοιοῦτος, φησιν, ὁ ποῖος οὐδενὶ ἄλλῳ, ἢ τῷ λόγῳ πείθεσθαι, ὃς ἄν μοι σκοπουμένῳ βέλτιστος φαίνοιτο. *Veritatis ſtudioſus Plato, tamquam a Deo concitatus, ego, inquit, ita comparatus ſum, ut nulli credam niſi rationi, quæ mihi conſideranti optima videatur.*

dæ, nihil eſt obtuſius, quam ſolas auctoritates quærere, & pro hominibus pugnare. (1)

C A-

(2) Cicero l.1. de nat. Deor. c. 5. *Qui requirunt, quid quaque de re ipſi ſentiamus, curioſius id faciunt, quam neceſſe eſt. Non enim tam auctores in diſputando, quam rationis momenta quærenda ſunt. Quin etiam obeſt plerumque iis, qui diſcere volunt, auctoritas eorum, qui ſe docere profitentur. Deſinunt enim ſuum judicium adhibere. Id habent ratum, quod ab eo, quem probant, judicatum vident. Nec vero probare ſoleo id, quod de Pythagoreis accepimus: quos ferunt, ſiquid affirmarent in diſputando, cum ex eis quæreretur, quare ita eſſet, reſpondere ſolitos, ipſe dixit. Ipſe autem erat Pythagoras. Tantum opinio præjudicata poterat, ut etiam ſine ratione valeret auctoritas.*

# CAPUT IX.

## DE DEMONSTRATIONIS NATURA ET RATIONE.

### *QUID EST DEMONSTRATIO?*

℞. Est evidens probatio, ex qua aliquid efficitur neceſſario; hoc eſt ſyllogiſmus perfectiſſimæ figuræ, († ) cujus præmiſſæ ſunt *veræ*, *primæ & medio carentes*, *notiores*, *priores*, & *cauſſæ concluſionis*. (1)

*Explica ſingulas conditiones modo numeratas.*

℞. Primum igitur demonſtrationis præmiſſæ debent eſſe (††† ) *veræ*. Si enim falſæ eſſent, non parerent ſcientiam, ſed errorem; ſi veriſimiles, parerent opinionem. Tum debent eſſe *primæ & medio carentes*;

† *L.* 1. *c.* 9.
††† *L.* 1. *c.* 10.

(1) Ariſtoteles definit ſcientiam ante demonſtrationem, quia ſcientia finis demonſtrationis eſt; finis autem in cognoſcendo eſt prior rebus aliis, quæ ad ipſum comparandum referuntur. Ego malui demonſtrationis definitionem præmittere; quia demonſtratio habet vim cauſæ efficientis, ſcientia rei effectæ: neque dubitavi facilitatis & perſpicuitatis gratia in re tam exigui momentis Ducem deſerere, vel ſequi paullo longius.

*tes*; quia nihil eſt prius illis, per quod doceri ac demonſtrari poſſint. Id accidit, cum ſubjecti & prædicati conjunctio ipſa per ſe perſpicua eſt, atque ita alterum alteri convenit, ut medium nihil ſit per quod conveniat. Ex. gr. cum dico, *quantum eſt extenſum*; enunciatio prima eſt & medio caret, quia per aliam priorem demonſtrari non poteſt; cum ratio nulla aſſignari queat, cur extenſio conveniat quantitati. At cum dico, *quantum eſt dividuum*, enunciatio non eſt prima, nec medio caret: nam datur ratio & cauſſa, propter quam diviſio conveniat rei quantæ; cauſſa autem eſt extenſio. (1) († ) Deinde debent eſſe *notiores*: nam cum per illas manifeſtanda concluſio ſit, ipſæ magis debent eſſe manifeſtæ. *Semper enim*, ut ait Philoſophus noſter, *per quod quidque eſt, illud magis eſt*. (†† ) Tum debent eſſe *priores*, κατὰ φύσιν, οὐ πρὸς ἡμᾶς, *ſecundum naturæ ordinem, non quantum ad nos*. Illa porro dicuntur *priora ſecundum naturæ ordinem*, quæ in naturali rerum ſerie præcedunt reliquis, ideſt univerſalia: illa *priora quantum ad nos*, quæ noſtris

† *L. 1. t. 15.*
†† *L. 1. t. 12. 22. 23.*

(1) Præmiſſæ hujuſmodi dicuntur a Græcis πρῶται, ἄμεσοι, ἀναπόδεικτοι. Non eſt tamen neceſſe, ut utraque ſit omnino prima, & medio careat. Nam aſſumtio interdum non eſt hujuſmodi, niſi virtute quadam & poteſtate, quatenus proxime reſolvitur in primam & medio carentem. Vide cap. 12. de *Exemplis*. Ratio porro præcepti ea eſt, quia ſi præmiſſæ demonſtratione indigerent, iretur in infinitum; quod fieri neque debet, neque poteſt, ut docet Ariſtoteles lib. 1. t. 143. 152. & lib. 2. t. 14. Hanc eamdem in rem Clemens Alexandr. Strom. l. 8. Ἑκάστης ἀποδείξεως ἀπόδειξιν αἰτοῦντες, εἰς ἄπειρον ἐκβησόμεθα. *Cujuslibet demonſtrationis demonſtrationem petentes, ibimus in infinitum.*

ſtris ſenſibus propiora ſunt, ideſt ſingularia. Omnis autem demonſtratio, quæ ſcientiam parit, ex univerſalibus conflatur. (2) (†) Denique debent eſſe *cauſſæ*; quæ conditio potiſſima eſt; cum ſcientia perfecta non poſſit eſſe niſi per cauſſam, & quidem propriam & proximam. Cauſſæ autem ſint oportet, non concluſionis modo, quod eſt commune omnibus argumentationibus Dialecticis, & Sophiſticis, ſed etiam rei; quia præmiſſæ debent continere cauſſam & rationem affectionis demonſtrandæ. (3)

H. CA-

† *L.* 1. *t.* 11.

(2) In lib. 1. Phyſ. c. 1. univerſalia dicuntur priora & notiora *nobis*: ſed ibi nomine univerſalium intelliguntur tota Phyſica, quæ revera nobis priora & notiora ſunt, quam partes, ex quibus componuntur. Ex. gr. magis cognoſcimus, & prius cognoſcimus, quid ſit *homo*, quam quid ſit *animal*, & *rationale*; non quidem cognitione diſtincta, ſed confuſa.

(3) Dicuntur *cauſſa* majori numero; quia præmiſſæ duæ ſunt, ambæ autem medium continent, quod eſt *cauſſa*.

Digitized by Google

# C A P U T X.

## DE DEMONSTRATIONIS NECESSITATE EJUSQUE GRADIBUS.

### *CUR DIXISTI IN DEMONSTRATIONE EFFICI ALIQUID NECESSARIO?*

℟. QUia ea, ex quibus efficitur concluſio, atque adeo ipſa concluſio, debent eſſe neceſſaria. (†) Siquidem ſcientia eſt eorum, *quæ aliter ſe habere non poſſunt*, ut ipſis Ariſtotelis verbis utar. (1)

### *Quot ſunt neceſſitatis gradus, quibus præditæ eſſe debent enunciationes demonſtrantes?*

℟. Tres recenſentur ab Ariſtotele, (††) κατὰ παντὸς, καθ' αὑτὸ, καθόλου, *de omni*, *per ſe*, *univerſe*. (†††) Tertius hic dicitur etiam καθόλου πρῶτον, *univerſe primum*. Singuli autem ita ſe habent, ut qui ſequitur, ſit magis neceſſarius, quam qui antecedit. Primus per-

† *L.* 1. *c.* 8. & 28.
†† *L.* 1. *c.* 29.
††† *L.* 1. *c.* 38.

1. Idem ſcribit l. 6. Ethic. c. 3. ubi addit, *ea*, *quæ aliter ſe habere non poſſunt*, *eſſe neceſſaria*; *quæ ſunt neceſſaria*, *eſſe æterna*, *quæ ſunt æterna*, *eſſe ortus & interitus expertia*. Uno verbo, ſcientiam eſſe *univerſalium*, ut infra dicetur.

pertinet ad ſubjectum enunciationis, ſecundus ad prædicatum, tertius ad utrumque.

*Quid eſt gradus primus* de omni?

℞. Enunciatio illa dicitur *de omni*, (†) in qua ita ſubjectum univerſale eſt, ut nulla ſit ejus pars, quæ non ſibi prædicatum neceſſario adſciſcat, & ſemper adſciſcat: ut ſi dicam, *virtutem eſſe habitum bonum*. Formula hæc adhibita eſt a Philoſopho etiam in Prioribus Analyticis, ubi enunciatio *de omni* dicitur illa, cujus ſubjectum ſigno univerſali affectum eſt, ſeu recte, ſeu perperam. Id ſatis eſt ad formam ſyllogiſticam, de qua una eo loco præcipitur. Hic res ipſa & veritas quæritur; ideoque formula *de omni* plus aliquid in Poſterioribus ſignificat. Hinc terriculamenta illa Scholaſticorum, *Dici de omni Prioriſticum*, *Dici de omni Poſterioriſticum*. (2)

*Quinam eſt gradus ſecundus neceſſariæ prædicationis?*

℞. Secundus gradus dicitur *per ſe*, καθ' αὑτό. (††) Quatuor autem modis prædicatum aliquod ſubjecto *per ſe* tribuitur. Primo ſi inſit per eſſentiam, ἐν τῷ τί ἐστι; ſitque ſubjecti ipſius definitio, vel definitionis pars; ut cum dico, *homo eſt animal*. (†††)

 Se-

† *Ibid.*
†† *L.* 1. *c.* 30.
††† *L.* 1. *c.* 31.

(2) Etiam in Topicis memoratur *Dici de omni*, & *Dici de nullo* l. 2. c. 1. Eſt enim ſedes quædam argumenti, quatenus quod dicitur *de omni*, etiam *de quolibet* dici debet; & puod *de nullo* dicitur, *de aliquo* dici non poteſt. Uno verbo, poſito toto, ponuntur partes; ſublato toto, tolluntur partes.

Secundo ſi ſit propria ſubjecti affectio, & ſubjectum ipſum in ſui definitionem adſciſcat; ut ſi *latrandi facultas* cani tribuatur; quæ quidem canis naturam neceſſario conſequitur, & ſine canis mentione definiri nequit. (3) (†) Tertio ſi ſubjectum per ſe conſtet, ut ſubſtantia quælibet, cui additur prædicati loco verbum *eſt*, aut *ſubſiſtit*; verbi gratia *Socrates eſt*. (††) (4) Quarto ſi prædicatum ſit propria ſubjecti cauſſa; cui opponitur cauſſa minus propria & fortuita, quæ vulgo cauſſa *per accidens* dicitur. Ex. gr. *Titius jugulatus interiit*, *& dum interiret*, *fulguravit*. In hac enunciatione interitus cum jugulatione proprie & *per ſe* conjungitur, quia jugulatio propria ejus cauſſa eſt; cum fulguratione minus proprie & fortuito, quia fulguratio nihil ad Titii interitum facit.

*Da mihi tertium gradum prædicationis neceſſariæ.*

℟. Tertius gradus dicitur (†) *univerſe primum*; eſtque in eo poſitus, ut prædicatum ſit univerſale & reciprocum; ideoque tantum pateat, quantum ſubjectum

† *L. 1. t. 33.*
†† *L. 1. t. 34.*
† *L. 1. t. 36. & 37.*

(3) Prædicata, quæ neque primo, neque ſecundo modo inſunt, ideſt quæ neque eſſentiam conſtituunt, nec eam neceſſario conſequuntur, ſunt communes affectiones, ut ſi dicam, *canis eſt albus*. Ab Ariſtotele vocantur συμβεβηκότα, *accidentia* in t. 32.

(4) Hæc eſt enunciatio illa de ſecundo adjacente, de qua in Rudiment. Logic. P. 2. c. 1. de Enunciat. nat.

ctum ipſum, eique primo conveniat. (5) In hoc igitur tertio neceſſitatis gradu, qui reliquos complectitur, tres requiruntur conditiones: prima eſt, ut prædicatum conveniat toti ſubjecto, & ſemper; ſecunda ut inſit per ſe; tertia ut inſit illi, quatenus ipſum eſt, primo, proxime, nullaque re media. Ex. gr. cum dico, *homo eſt rationis particeps*, enunciatio eſt univerſe prima; quia ratio convenit omnibus hominibus, ſemper, per ſe, proxime, & quatenus homines ſunt. At cum dico, *homo ſentit*, enunciatio non eſt hujuſmodi; quia ſentire convenit quidem omnibus hominibus, & convenit ſemper, & convenit per ſe, non tamen quatenus homines ſunt, ſed quatenus animalia. Neque enim homo eſt primum, & proximum ſubjectum, cui conveniat prædicatum *ſentiens*, ſed primum hoc ſubjectum eſt animal. (6)

*Confer in pauca doctrinam hanc.*

℞. Summa ſummarum hæc eſt. Prædicatum enunciationis apodicticæ dici debet de toto ſubjecto ſuo,

 & quo-

(5) Hujuſmodi prædicatum a quibuſdam ſolet appellari *Catholicum*, a græca voce καθόλου. Magis proprie & Latine dicitur *reciprocum*. Quamquam & vox *Catholicum* ferri poteſt, qua uſus eſt Plinius in lib. 1. nat. hiſt. ad Elenchum lib. 2. n. 15. & 53. Apulejus in Triſmeg. p. 100. & Tertullianus multis in locis.

(6) Sunt qui dicant, per vocem καθόλου, *univerſe*, ſignificari prædicatum, quatenus refertur ad ſubjectum; per vocem πρῶτον, *primum*, ſignificari ſubjectum, quatenus complectitur prædicatum. Prædicatum enim debet ineſſe ſubjecto ut *univerſale* quid; ſubjectum debet excipere prædicatum *primo*, per ſe, quatenus tale eſt, ſine ope aliena.

& quovis tempore dici; deinde dici debet proprie & per ſe; poſtremo dici debet tamquam æquale ipſi & reciprocum. Id ſi fiat, enunciatio erit neceſſaria, & ad ſcientiam parandam idonea. (7)

*CA-*

(7) Differt primus neceſſitatis gradus a tertio; quia per primum quidem totum ſubjectum eſt intra ambitum prædicati; per tertium autem totum prædicatum eſt intra ambitum ſubjecti. Exemplum primi ſit. *Omnis planta eſt putredini obnoxia*: exemplum tertii, *Omne corpus mixtum eſt putredini obnoxium*.

# CAPUT XI.

## DE RELIQUIS DEMONSTRATIONIS CONDITIONIBUS.

*CEDO MIHI RELIQUAS CONDITIONES ET NOTAS DEMONSTRATIONIS.*

℞. EX iis, quæ dicta ſunt, colligit Ariſtoteles demonſtrationem conſtare primum ex propriis, deinde ex univerſalibus & æternis.

*Quomodo debet conſtare ex propriis?*

℞. Cum dicit Ariſtoteles demonſtrationem conſtare ex *propriis*, excludit tum *aliena*, tum *communia*: *aliena* quidem, quia non licet ſine fallacia tranſire de genere in genus (†); *communia*, quia probationes ex communibus Dialecticæ ſunt; ideoque opinionem pariunt, non ſcientiam. (††) (1)

 Cur

† *L. 1. t. 56.*
†† *L. 1. t. 66. & ſeqq.*

(1) Axiomata, quibus utimur in demonſtrando, dici ſolent aliquando enunciata *communia* non alia ratione, niſi quia multa continent. Dicuntur etiam interdum *communia*, quod in duabus, vel pluribus diſciplinis locum habeant, quarum altera alteri ſubjicitur. Qualiacumque ſint, non valent ad ſcientiam gignendam, niſi coerceantur ad genus rei, quæ demonſtratur, & fiant plane propria.

*Cur demonſtratio conſtat ex univerſalibus & æternis?*

℟. Quia debet conſtare ex iis, quæ pariant ſcientiam, hoc eſt cognitionem certam, & firmam rei neceſſariæ. Sola autem univerſalia ſunt hujuſmodi; quia ſunt ortus, & interitus expertia, & ſemper uno modo ſe habent. Ex. gr. *ratio* & *eſſentia hominis* æterna & immutabilis eſt; *humana individua* modo ſunt, modo non ſunt; modo uno modo ſe habent, modo alio. (†) (2)

CA-

† L. 1. f. 62.

(2) Etiam Plato ajebat, ſola univerſalia vere ac proprie eſſe, ideoque ſola cognoſci poſſe. Hac de cauſſa ideas ſuas excogitavit. Id acceperat ex antiqua Heracliti diſciplina, qui negabat ſingularia eſſe. Seneca ep. 58. *Quæcumq; videmus ac tangimus, Plato in illis non numerat, quæ eſſe proprie putat. Fluunt enim, & in aſſidua diminutione, atque adjectione ſunt. Nemo noſtrum idem eſt in ſenectute, qui fuit juvenis: nemo eſt mane, qui fuit pridie. Corpora noſtra rapiuntur fluminum more: quidquid vides, currit cum tempore: nihil ex iis, quæ videmus, manet. Ego ipſe, dum loquor mutari iſta, mutatus ſum. Hoc eſt, quod ait Heraclitus, In idem flumen bis non deſcendimus. Manet idem flum nis nomen, aqua tranſmiſſa eſt.*

# CAPUT XII.

## DE DEMONSTRATIONIS EXEMPLIS.

### *DA MIHI EXEMPLUM PERFECTISSIMÆ DEMONSTRATIONIS.*

℞. ETſi nullum afferri poſſet exemplum perfectiſſimæ demonſtrationis, non tamen idcirco reprehendendus Ariſtoteles eſſet. Nam *quidquid eſt* ( inquit Cicero in Orat. cap. 2. ) *de quo ratione & via diſputetur, id eſt ad ultimam ſui generis formam ſpeciemque redigendum*. ( 1 ) Attamen exemplum poteſt eſſe hujuſmodi : *Quæcumque habent inſitam vim contrariorum perpetuo inter ſe pugnantium, neceſſe eſt aliquando diſſolvi: omnia mixta habent inſitam vim contrariorum perpetuo inter ſe pugnantium: neceſſe eſt igitur omnia mixta aliquando diſſolvi*. Hoc petitum eſt ex cauſſa interna affectionis, quæ demonſtratur. Siquis per cauſſam externam demonſtrare aliquid velit, ſumat eclipſim Lunæ, eamque demonſtret per interjectionem terræ inter ipſam & ſolem, & habebit plenam abſolutamque demonſtrationem.

De-

( 1 ) Sententiam Ciceronis pluribus expreſſit Quinctilianus in proœm. l. 1. Inſtit. & in cap. 10. Injuria igitur Ariſtotelem reprehendunt hac in parte Patritius, Ramus, Nizolius; quaſi vero ejuſmodi demonſtrationem commentus ſit, cujus exemplum inveniri neque apud ipſum, neque apud alios poſ-

*Debetne utraque demonſtrationis perfectæ enunciatio eſſe æque firma?*

℟. Duplex eſt demonſtratio perfecta, altera *ſimplex*, in qua utraque enunciatio eſt ἀναπόδεικτος, ideſt prima & medio carens; altera *compoſita*, in qua aſſumtio non eſt prima & medio carens; ſed oritur ex enunciatione hujus generis, in quam proxime reſolvitur. Itaque ſi dicam: *Quod nutritur, eget alimentis*; *planta autem nutritur*; *planta igitur eget alimentis*: demonſtratio perfecta eſt, ſed compoſita. Nam propoſitio quidem eſt prima & medio carens: at aſſumtio non eſt hujuſmodi; ſed oritur ex prima & medio carente, in quam proxime reſolvitur per alium ſyllogiſmum ita ferme: *Quidquid vivit, nutritur*; *planta vivit*; *ergo planta nutritur*. Hinc apparet, cur iſtiuſmodi demonſtratio dicatur *compoſita*; quia ſcilicet gemino ſyllogiſmo quodammodo conſtat. (2)

C A-

ſit. Leibnitius in Adnot. ad lib. 4. Nizolii de veris princip. cap. 3. hoc exemplum attulit perfectiſſimæ demonſtrationis: *Quodlibet corpus eſt in ſpatio; quod eſt in ſpatio, poteſt eſſe in alio ſpatio; quod poteſt eſſe in alio ſpatio, poteſt mutare ſpatium; quod poteſt mutare ſpatium, eſt mobile; ergo quodlibet corpus eſt mobile*. Demonſtratio hæc compoſita eſt, ut colligitur ex iis, quæ diximus in Rudimentis de Sorite,

(2) Nutritio igitur habet rationem *cauſſæ* & *effectus*: *cauſſa* eſt, quatenus parit neceſſitatem alimenti: *effectus* eſt, quatenus oritur ex natura viventis. Ut *cauſſa* adhibetur in propoſitione; ut *effectus* in aſſumtione. Porro quid ſit enunciatio *prima & medio carens*, vide in cap. 9.

# CAPUT XIII.

## DE DEMONSTRATIONIS FORMIS.

### *QUOTUPLEX EST DEMONSTRATIO?*

℟. DUplex, (†) quarum altera vulgo dicitur *a priori*, altera *a poſteriori*. Hæc oſtendit rem eſſe per ſigna & effecta; illa rationem affert, cur ſit. Itaque a Scholaſticis prima dicitur demonſtratio *propter quid*; ſecunda demonſtratio *quia*; a Græcis vocibus διότι, atque ὅτι.

*Quænam eſt demonſtratio* a priori?

℟. Quæ aliquid demonſtrat ex eo, quod prius eſt, ideſt ex cauſſa. (††) Porro ut demonſtratio perfecta ſit, cauſſa debet eſſe propria & proxima: ut ſi dicam, *Quod orbicæ figuræ eſt, illuſtratur per gradus*; *Luna eſt orbicæ figuræ; ergo per gradus illuſtratur*.

*Quænam eſt demonſtratio* a poſteriori?

℟. Quæ aliquid demonſtrat ex eo, quod eſt poſterius, ideſt ex effectis & ſignis. Hæc inſervit ſuperiori,

† *L.* 1. *c.* 95.
†† *L.* 1. *c.* 98.

ri; quatenus per ſigna & effecta rerum cauſſas inveſtigamus: (†††) ut ſi dicam *Quod illuſtratur per gradus, orbicæ figuræ eſt, Luna per gradus illuſtratur; ergo Luna orbicæ figuræ eſt.* (1)

*Utra utri præſtat.*

℞. Demonſtratio *a priori*, quæ fit per cauſſam propriam & proximam, longiſſime præſtat alteri. Immo demonſtratio *a poſteriori* vix demonſtrationis nomine digna eſt. (2)

*Quodnam judicium ferendum eſt de demonſtratione per cauſſam remotam?*

℞. Cauſſa remota nimis infirma eſt; (†) & valet quidem in argumentationibus negantibus, at in ajentibus minime valet. Siquidem ſublata cauſſa remota, tolli-

††† *Ibid. & t. 96.*
† *L. 1. t. 99.*

(1) Effectus allatæ demonſtrationis proximus eſt, qui reciprocatur cum ſua cauſſa; ideoque demonſtratio iſtiuſmodi facile convertitur in ſuperiorem, ſi propoſitionis prædicatum ponatur loco ſubjecti, ſubjectum loco prædicati. Sin autem demonſtretur per effecta remota, hujuſmodi demonſtratio nullo modo converti in alteram poteſt. Ex. gr. *Riſus* eſt effectus remotus *animalis*; ideoque recte dico, *Ridet, ergo eſt animal*: non recte, *eſt animal, ergo videt*. Colligitur hæc doctrina ex cap. 13. lib. 1. Poſter.

(2) Plerique Dialectici ajunt, unam tantum eſſe demonſtrationem *a priori*, quæ hoc nomine digna ſit; quia illi uni convenit definitio demonſtrationis ſuperius allata & explicata: reliquas probationes, cujuſcumque ſint ordinis, appellari demonſtrationes minus proprie per quamdam analogiam & ſimilitudinem.

tollitur effectus ab ea pendens; poſita, non ponitur: ut ſi dicam, *paries anima caret;* recte colligo, *ergo non reſpirat*: at ſi dicam, *paries animam habet*, non recte colligo, *ergo reſpirat*. (3) Quia anima eſt cauſſa remota reſpirandi, ideoque animata ſunt quædam, quæ non reſpirant; quamvis nihil ſit, quod reſpiret ſine anima. (4)

CA-

(3) Argumenta per cauſſam remotam fiunt in ſecundo ſecundæ figuræ modo, qui dicitur *Cameſtres*, ut colligitur ex cap. 13. lib. 1. Poſter. *Quod reſpirat, habet animam; paries non habet animam; ergo non reſpirat*. Cauſſa proxima reſpirandi eſt *habere pulmones*; & per hanc quidem fieri poſſunt argumenta tum ajentia, tum negantia.

(4) Cauſſa remota interdum habet urbanitatem. Hinc Anacharſis Scytha interrogatus a Græcis, num in Scythia eſſent tibicines, reſpondit per cauſſam valde remotam, in Scythia non eſſe vites. Scilicet eorum intemperantiam urbane caſtigavit: quia ubi non ſunt vites, ibi non eſt vinum; ubi non eſt vinum, ibi non ſunt ebrii; ubi non ſunt ebrii, ibi non ſunt tibicines & ſaltatores. Ceterum in gravi diſputatione ipſe quoque Rhetor Quinctilianus monet lib. 5. cap. 10. *ne cauſſæ ab ultimo repetantur*.

# CAPUT XIV.

## DE DEMONSTRATIONE IN ORBEM.

### *QUÆNAM EST DEMONSTRATIO IN ORBEM?*

℟. DEmonſtratio in orbem modo a Logicis dicitur *Regreſſus*, modo *Circulus*. Illa utilis eſt, hæc inutilis.

### *Quinam eſt Regreſſus?*

℟. Cum ab effectu nobis noto progredimur ad cauſſam latentem cognoſcendam; (†) deinde vero ab ea jam cognita regredimur ad effectum, ejuſque rationem per cauſſam demonſtramus; tum dicitur fieri demonſtratio per *regreſſum*: (1) ex. gr. ex eo quod Luna illuſtretur a Sole, non tota ſimul, ſed per gradus, colligo eam eſſe orbicæ figuræ, quæ quidem orbica figura cauſſa eſt, ut Luna gradatim illuſtretur. Inventa igitur hac cauſſa, per eam demonſtro, Lunam neceſſario illuſtrari per gradus, nec aliter fieri poſſe. Non eſt autem vitioſus hic regreſſus, quia non fit per

† *L.* 1. *c.* 23.

(1) Effectus dicitur notus *cognitione confuſa*; cum autem per cauſſam demonſtratur, fit notus *cognitione diſtincta*: qui ordo pertinet ad Phyſicum procedentem a toto ad partes, ab effectis ad cauſſas, ut docet Ariſtoteles in l. 1. Phyſ. cap. 1.

per idem demonſtrationis genus, nec eamdem parit ſcientiam. Prima demonſtratio eſt *a poſteriori*, altera *a priori*; prima parit ſcientiam confuſam & imperfectam, altera diſtinctam & perfectam. (2)

*Quinam eſt Circulus?*

℟. Argumentatio, quæ proprie in orbem recurrit, *circulus* dicitur ab Ariſtotele, (†) & damnatur tamquam vitioſa. Procedit enim ab eodem ad idem per eamdem demonſtrationis formam; & cognitio utrimque orta nugatoria futiliſque eſt: ut ſiquis dicat; *Socrates eſt homo, quia rationalis; eſt rationalis, quia homo*. (3)

*Quid, cum termini ſunt reciproci?*

℟. Quemadmodum in natura, ita in Logica, quædam reciprocari videntur, & ab eodem in idem redire: (†) ut cum dico, ex pluvia oriri terræ madorem, ex terræ madore oriri vapores, ex vaporibus nubes, ex nubibus pluviam. Movet difficultatem hanc Ariſtoteles, quæ facile ſolvitur, ſi dicamus, non eamdem

† *L. 1. t. 22. 24. & ſeqq.*
† *L. 2. t. 66.*

(2) Ejuſdem ordinis demonſtratio eſt, cum quis probat, aliquod animal eſſe rationale, quod ſit *ridendi capax*; rurſus autem eſſe *ridendi capax*, quod ſit *rationale*, ut eſt in l. 2. Prior. c. 5. Scientia porro per *regreſſum* parta dicitur ab Ariſtotele exquiſitiſſima omnium in lib. 1. t. 178. Poſter. τȣ͂ ὅτι ϗ διότι ἡ ἀυτὴ, *una atque eadem per effectum & cauſſam*.

(3) Per hujuſmodi argumentationem nihil efficitur. Hinc dicitur ὑπέρȣ τροπὴ, *piſtilli verſatio*: & adhibetur proverbii loco a Philemone in Heroib. adverſus eos, qui eadem faciendo nihil promovent. V. Elench. Sophiſt. de *Petitione principii*.

dem numero eſſe pluviam, quæ terram madefacit, atque illam, quæ ex terra madefacta oritur; ideoque re vera regreſſum eſſe, qui circulus videtur. (4)

CA-

(4) Quemadmodum circulus Geometricus perfectiſſimam rotunditatem requirit, ita circulus Logicus abſolutam perfectamque reciprocationem. Minima quæque variatio utriuſque naturam corrumpit. Tres igitur ſunt circuli conditiones: prima, ut utraque demonſtratio ſit per cauſſam; ſecunda, ut utraque ſit per idem genus cauſſæ; tertia, ut idem non ſolum ſpecie ſed etiam numero ſit id, quod probat, & quod probatur.

# CAPUT XV.

## DE SIGNIS, QUIBUS FIT DEMONSTRATIO A POSTERIORI.

### *QUID EST SIGNUM?*

℟. Signum eſt ( ut ſcribit Cicero l. 1. de Invent. c. 30.) *quod ſub ſenſum aliquem cadit*; *& quiddam ſignificat*, *quod ex ipſo profectum videtur*. Ita fumus dicitur ſignum ignis, gladius cruentus ſignum cædis.

### *Quotuplex eſt?*

℟. Duplex : neceſſarium, quod Græci vocant τεκμήριον; & non neceſſarium, quod illi σημεῖον dicunt. (1)

### *Quodnam eſt ſignum neceſſarium?*

℟. Eſt illud, quod numquam aliter fit, certumque declarat. *Neceſſarie* ( inquit Cicero l. 1. de Invent. c. 29.) *demonſtrantur ea*, *quæ aliter ac dicuntur*, *nec fieri*, *nec probari poſſunt*, *hoc modo: ſi peperit*, *cum viro concubuit*.

I

(1) Signum non neceſſarium ab Ariſtotele lib. 1. Rhet. c. 12. dicitur ἀνώνυμον, *carens nomine*. Ego ſumsi σημεῖον a Quinctiliano, cujus hæc ſunt verba in lib. 5. Inſtit. cap. 6. *Dividuntur ſigna in has duas primas ſpecies*, *quia eorum alia neceſſaria ſunt*, *quæ Græci vocant τεκμήρια*, *alia non neceſſaria*, *quæ σημεῖα*.

*rubuit*. Hoc utuntur Philoſophi, quoties demonſtrant *a poſteriori*.

*Quodnam eſt ſignum non neceſſarium?*

℟. Eſt illud, quo utuntur Rhetores, unde ſunt probationes minus firmæ. Dividitur autem bifariam. Aliud eſt enim, quod refertur ad id, cujus eſt ſignum, ut univerſale ad ſingulare; aliud, quod refertur ut ſingulare ad univerſale. Primo modo argumentatur a ſigno, qui dicit omnes Philoſophos eſſe inverecundos, quia Diogenes verecundia caruit. Et hæc quidem argumentandi ratio infirma eſt, quia ex parte colligit totum. (2) Secundo modo arguit a ſigno, qui dicit Meſſalinam impudicam eſſe, quod noctu per lupanaria vagetur: quæ argumentandi ratio valida eſt, & ordinem naturæ ſequitur, quia ex toto colligit partem. Nam feminæ, quæ noctu per lupanaria vagantur, cenſentur impudicæ.

*Numquamne Philoſophi utuntur ſignis non neceſſariis?*

℟. Utuntur aliquando Philoſophi ſignis non neceſſariis; vel quod neceſſaria deſunt; vel quod neceſſariis viam quamdam ſternunt; vel quod, cum multa ſunt, numero ipſo plurimum valent.

*Quid*

(2) Ita argumentatur Virgilius in 2. Æneid. ubi Græcos omnes fallaces vocat, quod Sinon fallax eſſet.
*Accipe nunc Danaum inſidias, & crimine ab uno*
*Diſce omnes.*

Digitized by Google

*Quid Stoici de ſigno?*

℟. Stoici, quorum maxime ratio nobis habenda eſt, ſigna dividunt in *ſenſibilia*, & *rationalia*, αἰσθητὰ, καὶ νοητά. Signum *ſenſibile* eſt illud, quod ſenſibus oblatum, memoriam excitat, & quaſi monendo ducit nos in cognitionem alicujus rei; qua ratione fumus eſt *ſignum ignis*, cicatrix eſt ſignum vulneris. *Rationale* eſt, quod ratione demonſtrat id, cujus eſt ſignum; qua ratione ſudor ſignificat poros, viventis motus ſignificat animam. Ex hoc poſteriore ſigno ajunt oriri ſcientiam; ex priore opinionem. (3)

*Poſſuntne obſcura omnia ſigno manifeſtari?*

℟. Docent Stoici, eſſe obſcura quædam, quæ nullo manifeſtari ſigno poſſunt; quæque manifeſtantur, non eodem manifeſtari. Itaque apud illos rerum obſcurarum aliæ ſunt *perpetuo* obſcuræ; ut numerus ſtellarum, in quo quidem omnia ſigna ſunt otioſa. Aliæ ſunt obſcuræ ad *tempus*; quæ cum habeant naturam evidentem, pro ratione temporis, vel loci nobis latent; ut ignis vicina domo incluſus: atque in his quidem locum habent ſigna *ſenſibilia*. Aliæ dicuntur obſcuræ *natura*; quia earum natura non patitur,

I 2 ut

(3) Formulas ſumſi diviſionis hujus ex Diogene Laertio lib. 9. Apud Sextum Empiricum lib. 2. Pyrrh. hyp. c. 10. Signa *ſenſibilia* vocantur ὑπομνηστικά, id eſt *commonentia*; *rationalia* dicuntur ἐνδεικτικά, ideſt *demonſtrantia*. Nomina diverſa ſunt, ſed doctrina eadem apud utrumque.

Digitized by Google

ut appareant ; cujuſmodi ſunt pori corporis noſtri , quos per ſigna *rationalia* demonſtrando aperimus . (4)

CA-

(4) Has rerum obſcurarum differentias vide apud Sextum Empiricum lib. 2. adverſ. Logic. c. 3. & lib. 2. Pyrr. hyp. cap. 10. Porro ea , quæ ſunt perpetuo obſcura , magis proprie dici poſſunt ignota .

Digitized by Google

# CAPUT XVI.

## DE DEMONSTRATIONIS EFFECTU, IDEST SCIENTIA.

### *QUINAM EST DEMONSTRATIONIS EFFECTUS?*

℞. Scientia, non tamen quælibet, ſed quæ definitur, *Cognitio firma & evidens rei neceſſariæ per demonſtrationem acquiſita*. Per *firmitatem* ab opinione differt, quæ eſt aſſenſus infirmus: (1) per *evidentiam* a fide, quæ obſcuritate non vacat: per *rei neceſſitatem* a prudentia & arte; quæ in ſingularibus & fortuitis verſantur: per *demonſtrationem* denique diſtinguitur ab intelligentia, quæ eſt cognitio principiorum & axiomatum ipſa per ſe perſpicua.

### *Quotuplex eſt firmitas & evidentia?*

℞. Triplex: *Moralis*, *Phyſica*, & *Metaphyſica*. *Mo-*



(1) Ob hanc firmitatem ſcientia a Græcis dicitur ἐπιστήμη, ut ſcribit Clemens Alexandr. l. 4. Strom. ὅτι ἵστησιν ἡμῶν ἐν τοῖς πράγμασι τὴν ψυχήν, *quod noſtram in rebus ſiſtat mentem*. Itaque ſciens ab Ariſtotele dicitur ἀμετάπτωτος, & a Platone τετράγωνος, *inconcuſſus & quadratus*. Quo pertinent illa D. Auguſtini l. 3. contra Acad. c. 19. *Scientia non ſolum comprehenſis, ſed ita comprehenſis rebus conſtat, ut neque in ea quis umquam errare, nec quibuslibet adverſantibus impulſus nutare debeat.*

*ralis* eſt firma & evidens perſuaſio ejus rei, quæ plerumque vera eſt, more & conſuetudine fulta: ex. gr. certum mihi eſt, vacationes a ſtudiis proxima æſtate futuras. *Phyſica* eſt firma & evidens ejus rei perſuaſio, quæ ſecundum naturæ ordinem aliter ſe habere non poteſt, quamvis aliter poſſit cogitari: ita certum eſt, hieme dies eſſe breviſſimos, æſtate longiſſimos. *Metaphyſica* eſt firma & evidens perſuaſio ejus rei, quæ ne cogitari quidem aliter poteſt: quo modo certum mihi eſt, eum qui diſputat, eſſe.

*Quænam ex his ad ſcientiam requiritur?*

℟. *Metaphyſica*, ſi fieri poſſit, aut ſaltem *Phyſica*. *Moralis* Dialecticis probationibus apta eſt, Analyticis inepta.

*Quotuplex eſt ſcientia?*

℟. Duplex: altera, quæ vulgo dicitur *a poſteriori*, ſeu *quia*; altera, quæ *a priori* vocatur, ſeu *propter quid*. Secunda hæc vere ac proprie ſcientia eſt; quia per potiſſimam demonſtrationem acquiritur, hoc eſt per cauſſæ proximæ cognitionem. Prima vix ſcientiæ nomen retinere poteſt: quia oritur ex demonſtratione imperfecta, quæ fit per ſigna & effecta, vel per cauſſas remotas; ideoque rem eſſe oſtendit, cur ſit non oſtendit.

*Quo-*

*Quomodo definitur ſcientia ab Ariſtotele?*

℞. *Ille ſcit* ( inquit Ariſtoteles ) (†) *proprie ac ſimpliciter*, *non ex parte aliqua ut Sophiſtæ ſolent*, *qui cauſſam cognoſcit*, *cur res ſit*; *& illius cauſſam eſſe*, *& aliter ſe habere non poſſe*, *firmiter tenet*. Tres igitur requiruntur ad perfectam ſcientiam conditiones: Prima ut cognoſcatur rei cauſſa; Secunda ut cognoſcatur tamquam cauſſa; Tertia ut cognoſcatur tamquam cauſſa neceſſaria. (2)



† *L.* 1. *c.* 7.

(2) Scientiam definit Ariſtoteles, non quatenus habitus & diſciplina eſt, ſed ut certæ alicujus rei cognitio, quæ ratiocinando comparatur. Diſputat enim adverſus illos, qui ajebant, nihil ſciri poſſe, aut ſciri dumtaxat per reminiſcentiam. Ipſiſſima ejus verba, quorum interpretationem dedimus, ſunt hæc in cap. 2. lib. 1. Ἐπίστασθαι οἰόμεθα ἕκαστον ἁπλῶς, ἀλλὰ μὴ τὸν σοφιστικὸν τρόπον, τὸν κατὰ συμβεβηκός, ὅταν τήν τ' αἰτίαν οἰώμεθα γινώσκειν δι' ἣν τὸ πρᾶγμά ἐστιν, ὅτι ἐκείνου αἰτία ἐστί, καὶ μὴ ἐνδέχεσθαι τοῦτ' ἄλλως ἔχειν: Scientia autem, quatenus diſciplina eſt, ita definitur a Maxim-Tyrio diſſert. 40. *Firma ratio*, *quæ per eadem ſemper procedit*, *cujus proprium eſt res cognatas inquirere*, *res diſſimiles diſtinguere*, *ſimiles componere*, *proprias conjungere*, *conjunctas diſcernere*, *alienas diſtinguere*, *quæ denique ſine ordine ſunt*, *in ordinem redigere*, *quæ parum congruunt*, *quadrare*. *Ex interpret. Dan. Heinſii.*

Digitized by Google

# CAPUT XVII.

## DE VETERUM PHYSICORUM ET PLATONIS SCIENTIA.

### *QUID CENSUERUNT VETERES PHYSICI DE SCIENTIA?*

℞. Veteres Phyſici, a Xenophane & Parmenide profecti, ſcientiam dari negarunt. (1)

### *Quid Plato?*

℞. Num Plato aliquid certi & comprehenſi habuerit, in controverſia reliquerunt Laertius, & Sextus Empiricus. Nihil enim ita umquam affirmat, ut ſcientem & docentem decet. Attamen videtur ſcientiam admiſiſſe, ejuſque cauſſa ideas univerſales excogitaſſe. (2)

*Quæ-*

(1) Cicero Acad. 4. cap. 23. *Parmenides & Xenophanes minus bonis quamquam verſibus, ſed tamen illis verſibus increpant eorum arrogantiam quaſi irati, qui cum ſciri nihil poſſit, audeant ſe ſcire dicere.*

(2) Cicero in prima parte Acad. 4. ſcribit Luculli nomine, Platonem perfectiſſimam diſciplinam reliquiſſe: at in parte altera eum de rebus omnibus dubitantem facit. Sextus Empiricus non audet Platonem in Scepticis numerare lib. 1. Pyrrh. hyp. c. 33. *Ex iis, quæ diximus* (inquit) *manifeſtum eſt, Platonem, etiamſi de aliquibus dubitet, attamen quia in quibuſdam videtur aut de eſſentia obſcurorum pronunciare, aut ex obſcuris alia aliis fide digniora judicare, ſcepticum eſſe non poſſe.*

*Quænam igitur eſt Platonica ſcientia?*

℟. Platonis ſcientia reminiſcentia eſt, ut colligitur ex ejus Menone, ex Phædone, ex Timæo, ex Theæteto. Exiſtimavit enim, hominum animas ex omni æternitate fuiſſe conditas, certoque numero definitas pro ipſo ſtellarum numero, quibus ſunt adhibitæ & infuſæ. Illud quoque adjecit, omnibus rerum notitiis inſtructas fuiſſe, quippe divinæ mentis particulas quaſdam, ut in ſuperis illis ſedibus ſe ſe cogitando exercerent. Sed cum in corpora hæc tamquam a luce in tenebras deſcendunt, eas ſcribit limo quaſi quodam obduci; qui poſtea paullatim detergitur, veteriſque ſcientiæ memoria renovatur. (3)

*Quodnam eſt objectum ſcientiæ Platonicæ?*

℟. Plato vere ac proprie ſolas ideas ſcientia comprehendi arbitratur, ideſt communes quaſdam formas, unde ſingularia hæc, quæ nos ſenſibus noſtris uſurpamus, fluunt & propagantur tamquam umbræ a ſuis corporibus. Quemadmodum igitur qui umbras cognoſcere vult, corpora contemplatur, ex quibus manant; ita qui ſenſibilia hæc cognoſcere vult, ideas contemplari

(3) Cicero Tuſcul. 1. c. 24. *Non potuit animus hac in corpore incluſus cognoſcere, cognita attulit. Ex quo tam multarum rerum cognitionis admiratio tollitur. Neque ea plane videt animus, cum tam repente in inſolitum tamque perturbatum domicilium immigravit: ſed cum ſe collegit atque recreavit, tum agnoſcit illa reminiſcendo. Ita nihil aliud eſt diſcere, niſi recordari.*

plari debet, quæ ſolæ ſunt, & eodem ſemper modo ſunt. Uno verbo, non homo eſt, qui cognoſcitur, ſed humanitas; quia ut ſcribit Seneca ep. 65. *Homines quidem pereunt, ipſa autem humanitas, ad quam homo effingitur, permanet.* (4)

*Quomodo probat Plato eſſe ideas?*

℟. Alibi aliter. Sed quod attinet ad hanc diſputandi partem, ita ferme: *Si Demonſtratio eſt, ideæ ſunt: eſt autem Demonſtratio: igitur & ideæ*. Nititur argumentatio hæc fundamento Platonicis & Peripateticis communi, quod demonſtratio fieri nequeat niſi per univerſale. (5)

*Quid ad hæc Ariſtoteles?*

℟. Reſpondet Ariſtoteles in cap. XI. l. I. (†) eſſe demonſtrationem, eamque fieri per univerſale; nec ta-

† *L. 1. t. 81.*

(4) Plato nihil eſſe putabat præter ideas: id autem quod non eſt, ſciri non poteſt. Vide Ciceronem Tuſcul. I. c. 24. & harum Inſtitutionum Partem primam, cap. I. Etiam Peripatetici ſingularia, quæ ſub ſenſum cadunt, vocant τὰ φαινόμενα; univerſalia quæ menti objiciuntur, vocant τὰ ὄντως ὄντα.

(5) In Metaphyſica tres ſunt rationes, quibus Plato ideas probat. Primo enim ait, abſurdum videri, ſi ſit ſingulare, in quo occupetur ſenſus, non eſſe univerſale, in quo occupetur intellectus: deinde, ſicuti multitudo quævis ad unitatem revocatur, ita formas & naturas omnes ad univerſalem quamdam & ſimplicem formam revocari debere: poſtremo non apparere, quomodo ſingularia ejuſdem rationis convenire inter ſe poſſint, & ab aliis differre, niſi admittatur communis quædam forma, tamquam menſura convenientiæ omnis ac diſcriminis. Labefactantur ab Ariſtotele præſertim in lib. I. Metaph. c. 7.

tamen hinc colligi Platonicas ideas. Nam Plato hoc nomine intelligit univerſale *ante multa* & *præter multa*, ideſt rerum ſimulacra quædam & exemplaria, ex quibus omnia fiant & cognoſcantur. Satis eſt autem ad demonſtrandum, ſi ſit univerſale Peripateticum, quod dicitur *poſt multa* & *in multis*, ideſt genera & ſpecies, quæ a rebus ſingulis effinguntur, & in ipſis ſunt. (6)

*Quomodo ex doctrina Platonis ſenſibilia cognoſcuntur?*

℞. Platonici *hanc omnem partem opinabilem appellant*, inquit Cicero in Acad. 1. c. 8. Senſibilia igitur opinione ſtare dicunt, & opinando cognoſci.

*Quibus ſciendi inſtrumentis Platonici utuntur?*

℞. Platonici libentiſſime adhibent in diſputando definitionem tum rei, tum nominis; idque habent tamquam princeps ſciendi inſtrumentum. Secundum definitionem argumentis utuntur & concluſionibus. Quidam

(6) Adde quod univerſale Platonicum eſt ambiguum, ut dicitur in textu; quippe a rebus demonſtrandis ſeparatum, & alia quadam natura præditum. Demonſtratio autem per ambigua fieri nequit. Hac ipſa ratione utitur iu cap. 6. lib. 1. Ethic. ad excludendam Platonicam boni ideam.

dam ex illis etiam diviſionem inter modos ſciendi retulerunt, quæ tamen re vera pediſſequa defini tionis eſt, eique ſervit, ut poſtea declarabimus. (7)

CA-

(7) Cicero Acad. 1. c. 8. *Scientiam* Platonici *nuſquam eſſe cenſebant niſi in animi notionibus atque rationibus. Qua de cauſſa definitiones rerum probabant, & has ad omnia, de quibus diſceptabatur, adhibebant. Verborum etiam explicatio probabatur; ideſt qua de cauſſa quæque eſſent ita nominata; quam etymologiam appellant. Poſt argumentis & quaſi rerum notis utebantur ad probandum & concludendum id, quod explanari volebant.*

# CAPUT XVIII.

## DE SCEPTICORUM, ACADEMICORUM, EPICUREORUM, ET STOICORUM SCIENTIA.

### *QUÆNAM EST SCEPTICORUM OPINIO DE SCIENTIA?*

℞. Scepticorum opinio de ſcientia grandi volumine explicatur a Sexto Empirico. Gellius rem totam paucis verbis compleċti voluit l. xi. c. 5. *Quos Pyrrhonios*, inquit, *Philoſophos vocamus, ii Græco cognomento* σκεπτικοὶ *appellantur. Id ferme ſignificat quaſi quæſitores & conſideratores. Nihil enim decernunt, nihil conſtituunt, ſed in quærendo ſemper conſiderandoque ſunt, quidnam ſit omnium rerum, de quo decerni conſtituique poſſit. Ac ne videre quoque plane quicquam, neque audire ſe putant; ſed ita pati afficique, quaſi videant, vel audiant* &c. Et paullo poſt. *Nihil affirmant, nihilque comprehendi putant, ſed ex omnibus rebus perinde viſa fieri dicunt (quas* φαντασίας *appellant) non ut rerum ipſarum natura eſt, ſed ut affectio animi corporiſve eſt eorum, ad quos viſa perveniunt. Itaque omnes omnino res, quæ ſenſus hominum movent,* τῶν πρός τι *eſſe dicunt. Id verbum ſignificat, nihil eſſe quicquam, quod ex ſeſe conſtet; nec quod habeat vim propriam & naturam; ſed omnia prorſus ad aliquid referri; taliaque videri eſſe, qualis ſit eorum ſpecies, dum videntur; qua-*

*lia-*

*liaque apud ſenſus noſtros, quo pervenerunt, creantur; non apud ſeſe, unde profecta ſunt*. Sceptici igitur neque ſcientiam, neque opinionem admittebant, ſed ad leges, conſuetudines, & naturales affectiones, totius vitæ conſilia referebant. (1)

### *Quid ſentiunt Academici de ſcientia?*

℞. Academici nihil comprehendi poſſe dicunt, vel quod res natura ſua incomprehenſibiles ſint, vel quod homines comprehendendi regulis ac viribus careant. (2) Attamen interdum ajunt, ſe veri inveniendi cauſſa diſputare, & verum diſputando invenire, non tamen in-

(1) V. Sextum Empir. l. 1. Pyrrh. hyp. c. 11. In eo autem differunt Sceptici ab Academicis, quod cum utrique probabile admittant, Sceptici illud ſequuntur, ut puer ſequitur pædagogum, ſine opinione, & propenſione ulla; Academici probabile ſequuntur cum certo propoſito, & opinione. Nomine porro Academicorum Carneadeos intelligo. Nam veteres Socratici ſcientiam aliquam admittunt; nec differunt a Peripateticis niſi nomine, ut eſt apud Cicer. Acad. 4. c. 5. Medii autem, qui ſunt ab Arceſila, vix diffident a Scepticis, ut ſcribit Sextus. Empir. lib. 1. Pyrrh. hyp. c. 33.

(2) Academici novi, quamvis ſcientiam excluderent, tamen admittebant opinionem; quia eorum dux Carneades tria genera probabilium induxerat, quæ diſputandi, & agendi criteria eſſent; *probabile ſimpliciter; probabile, nulloque dubio impeditum; probabile, nullo dubio impeditum, & per partes examinatum*. V. Sext. Empir. lib. 1. Adverſ. Logic. n. 159. & Ciceronem Acad. 4. c. 11.

inventum patefacere; ne, qui audiunt, auctoritate potius, quam ratione moveantur. (3)

*Quænam eſt ſcientia Epicureorum?*

℟. Princeps ſciendi fundamentum in ſenſuum fide ponit Epicurus, quos nec fallere umquam, nec falli poſſe putat. Viſa igitur omnia apud ipſum vera ſunt; ſed opiniones, quæ viſorum judicia continent, aliæ ſunt veræ, aliæ falſæ. Exempli gr. cum oculi remum infractum in aqua vident, & infractum eſſe menti nunciant, ita prorſus vident & nunciant, ut eorum poſcit officium. Nam ſpecies remi eo modo ad oculos veniunt; ac proinde eo modo recipi ac repræſentari debent. Error autem in judicio mentis eſt, ſi ſibi perſuadeat, remum eſſe re vera fractum; neque reputet, ubi ſit, & quomodo ſui ſpecies effundat. (4)

Ex

(3) D. Auguſtinus contra Acad. l. 3. c. 20. *Cicero ait, illis morem fuiſſe occultandi ſententiam ſuam, nec eam cuiquam, niſi qui ſecum ad ſenectutem uſque vixiſſet, aperire conſueviſſe.* Fortaſſe [locus Ciceronis eſt in Acad. 4. c. 18. *Reſtat illud, quod dicunt veri inveniendi cauſſa contra omnia dici oportere, & pro omnibus. Volo igitur videre, quid invenerint. Non ſolemus, inquit, oſtendere. Quæ ſunt tandem iſta myſteria? Aut cur celatis quaſi turpe aliquid ſententiam veſtram? Ut qui audient, inquit, ratione potius, quam auctoritate ducantur.*

(4) Rem eamdem alio exemplo explicat Sex. Empiric. l. 1. adverſ. Log. n. 208. & ſeq. Vide etiam lib. 2. n. 9. Hinc Timagoras Epicureus ajebat apud Ciceronem in Acad. 4. c. 25. Siquid aliter cerneretur, atque eſſet, *opinionis eſſe mendacium, non oculorum.* Et D. Auguſtinus de vera Relig. c. 33. *Siquis remum frangi in aqua opinatur, & cum aufertur, integrari, non malum habet internuncium, ſed malus eſt judex.*

Ex his porro perceptionibus ac judiciis oriuntur notitiæ, de quibus dictum eſt in cap. 3. Ex notitiis fit ratiocinatio & ſcientia.

*Admittuntne Epicurei demonſtrationem?*

℟. Admittunt demonſtrationem, eamque adverſus Scepticos tueri conantur. Sed nihilo plus demonſtranti præcipiunt, quam ut ex eo, quod eſt evidens, efficiat & illuſtret id, quod non eſt evidens. Evidentia autem colligitur per ſenſus recte adhibitos, (5) & per notiones, quibus ſenſus non repugnent. Ex. gr. Epicurus dicit eſse vacuum, quod non eſt evidens. Probat autem per id, quod ſenſibus eſt evidens, ideſt per motum hoc modo: ſi eſt motus, eſt vacuum; nam ubi plena ſunt omnia, corpus mobile deſtituitur loco, in quem ſe recipiat: *eſt autem motus*: *igitur vacuum*. (6)

*Quænam eſt ſcientia Stoicorum?*

℟. Scientiam Stoicorum explicat Cicero his verbis in Academ. 1. c. 12. *Zeno, quod erat ſenſu comprehenſum id ipſum ſenſum appellabat: & ſi ita erat comprehenſum, ut convelli ratione non poſſet, ſcientiam; ſin aliter, inſcientiam nominabat: ex qua exiſteret etiam opinio, quæ eſſet imbecilla, & cum falſo incognitoque communis*. Scientia igitur eſt firma cognitio, opinio infirma; comprehenſio autem menſura

(5) Quomodo ſenſus adhibendi ſint, docet Lucullus apud Ciceronem in Acad. 4. c. 7. quem locum attulimus in *Rudimentis* Syntagm. 1.

(6) Tota hæc doctrina explicatur a Sex. Empirico lib. 1. adver. Log. n. 213. & ſeq.

ſura utriuſque. Itaque ajebant Stoici ſcientiam eſſe in ſapientibus, opinionem in ſtultis: comprehenſionem neque inter recta, neque inter prava numerabant, ut ibidem Cicero declarat. (5)

*Eſtne demonſtratio apud Stoicos?*

℟. Eſt ſane, & definitur ab iis, *Argumentatio, quæ per veras ſumtiones colligendo declarat concluſionem obſcuram*. Singula verba conſulto poſita ſunt. Itaque demonſtratio Stoica debet eſſe *argumentatio*: debet conſtare *ſumtionibus veris*: debet habere vim *colligendi*: debet *declarare concluſionem obſcuram*.

*Explica mihi has formulas.*

℟. *Argumentationis* nomine Stoici intelligunt ſyllogiſmos hypotheticos, quibus maxime utuntur: eoſque dicunt habere *colligendi* vim, qui omnes connexi le-



(5) Vide etiam ejuſdem Cicer. Acad. 4. c. 47. ex quibus locis apparet, mentem proficiſci a comprehenſione viſi ad aſſenſum, ab aſſenſu ad ſcientiam. Sex. Empiricus l. 1. adverſ. Logic. n. 51. *Stoici dicunt eſſe tria inter ſe conjugata, ſcientiam, opinionem, & quæ eſt in eorum confinio collocata, comprehenſionem: ex quibus ſcientiam quidem eſſe firmam, ſecuram, nullaque ratione mobilem comprehenſionem; opinionem eſſe imbecillam & falſam aſſenſionem; comprehenſionem autem, quæ comprobatio quædam eſt, & aſſenſus phantaſiæ comprehenſibilis, inter utramque locum habere. Comprehenſibilis porro phantaſia ex eorum ſententia eſt vera, & ejuſmodi, ut non poſſit eſſe falſa. Ex quibus ſcientiam quidem dicunt conſiſtere in ſolis ſapientibus; opinionem in ſolis ſtultis; comprehenſionem autem eſſe communem utriſque: & hoc eſſe criterium veritatis.*

ges ſervant. Et quia ex falſis etiam recte colligi poteſt, iccirco *ſumtiones veras* requirunt. Porro quod dicunt *concluſionem obſcuram*, eo ſpectat; quia ſunt argumentationes quædam leviores, quarum concluſio ipſa per ſe perſpicua eſt, nulliuſque probationis indiga: ut cum dico, *ſi dies eſt, lux eſt; eſt autem dies; ergo lux*. At ſi dicam, ſi *motus eſt, vacuum eſt; eſt autem motus; ergò vacuum*; demonſtratio vera, & abſoluta eſt, quia concluſionem obſcuram declarat.

*Quomodo dividitur Stoica demonſtratio?*

℞. Stoici dividunt demonſtrationem in *primariam*, & *ſecundariam*. *Primaria* illa eſt, quæ id, quod concludit, ratione manifeſtat; ut cum dico, *ſi ſudores fluunt ex humano corpore, pori ſunt; ſed ſudores fluunt; ergo ſunt pori*. *Secundaria*, & minus perfecta eſt illa, cujus tota virtus pendet ex fide, & memoria; ut cum dico, *ſi Deus prænuntiavit fore ut diteſcam, certe diteſcam; ſed Deus prænuntiavit fore ut diteſcam; ergò diteſcam*. Vis argumenti hujus cogit nos aſſentiri rei manifeſtæ per fidem, quam habemus Deo prænuntianti.

CA-

# CAPUT XIX.

## DE SCIENTIÆ ORIGINE.

### *SCIENTIA UNDE ORITUR TAMQUAM A CAPITE?*

℟. SI quis ſcientiæ originem altius quærat, inveniet eam a ſenſibus eſſe, ideſt a rerum ſingularium inductione atque experientia. Nam primo quidem ex. gr. oculis luſtramus hunc & illum colorem in ſingulis corporibus; deinde vero per quamdam inductionem colligimus, quid ſit color in univerſum; poſtremo per univerſalem hanc cognitionem demonſtrationes conficimus ad coloris naturam & rationem aperiendam. (†) Hinc Ariſtoteles ſcribit, eum, qui caret ſenſu, carere ſcientia. Nam ſi quis oculis careat, numquam coloris ſcientiam acquiret. Tota Ariſtotelis doctrina hoc Sorite concludi poteſt: ſi ſenſus deficit, deficit inductio; ſi deficit inductio, deficit univerſale; ſi deficit univerſale, deficit ſcientia; ergo ſi ſenſus deficit, deficit ſcientia. (1)



† *L. 1. c. 134. & L. 2. t. 102.*

(1) Idem docet homo Platonicus, Clemens Alexandr. l. 8. Strom. p. m. 778. κατὰ τὴν αἴσθησιν ἐκ τῶν καθ' ἕκαστα κεφαλαιοῦται τὸ καθόλου. ἀρχὴ γὰρ τῆς ἐπαγωγῆς ἡ αἴσθησις, πέρας δὲ τὸ καθόλου. *Per ſenſum ex ſingularibus colligitur univerſale. Inductionis enim principium eſt ſenſus, finis univerſale.* Vide etiam Maxim. Tyrium diſſert. 40.

*Scientia igitur eſtne ſingularium an univerſalium?*

℞. Scientia non eſt niſi univerſalium, (†) quæ definita ſunt, & ſemper eodem modo ſe habent. Nam ſingularia & innumera ſunt, & mutabilia; ideoque ſenſu percipi poſſunt, ſcientia comprehendi non poſſunt. Quidam ſingularia iccirco excludunt a ſcientia, quod non ſint: qua de re vide c. 11. (2)

CA-

† *L. 1. T. 62. 63.*

(2) Idem confirmat Ariſtoteles in lib. 1. Rhetor. cap. 11. idemque ſcribit Clemens Alexandrin. l. 8. Strom. p. m. 782. τῶν καθ' ἕκαστα, ἀπείρων ὄντων, μὴ εἶναι ἐπιστήμην. ἴδιον δὲ ἐπιστήμης καθολικοῖς ἐπερείδεσθαι θεωρήμασι καὶ ὡρισμένοις. *Singularium, cum ſint infinita, non eſſe ſcientiam: proprium autem eſſe ſcientiæ, niti theorematis univerſalibus ac definitis*. Porro quomodo ſingularia ſint mutabilia, univerſalia immutabilia, Plato explicat per exemplum in Phædone. Nam *æqualia*, inquit, poſſunt eſſe magis & minus *æqualia*; immo & fieri *inæqualia* poſſunt: at *æqualitas* unius dumtaxat rationis ſemper eſt; nec fieri ullo modo *inæqualitas* poteſt.

# CAPUT XX.

## DE IGNORANTIA.

### *QUID EST IGNORANTIA?*

℞. Scientiæ opponitur ignorantia, (†) eaque duplex, *negationis*, & *pravæ affectionis*. *Negationis* ignorantia eſt, cum alicujus rei notionem nullam habemus; nihilque de ea affirmamus, aut negamus: ut ſiquis ignoret coloris naturam & rationem, quod careat oculis. Ignorantia *pravæ affectionis* eſt deceptio orta ex quavis operatione mentis: ut ſiquis per ſimplex judicium exiſtimet ſolem eſſe pedalem; aut per ratiocinandi fallaciam putet non dari motum, quod ſpatium omne contineat partes infinitas, infinitum autem nequeat pertranſiri. (1)

### *Utra reprehendenda eſt?*

℞. Ignorantia *pravæ affectionis* numquam caret culpa, niſi forte cum magnos duces ſequimur, aut error publicus eſt. Siquis tamen errorem agnoſcat, depone-



† *L* 1. *t.* 109. *uſque ad* 133.

(1) Ignorantia *negationis* dicitur a Græcis κατ' ἀπόφασιν, a Latinis dici poteſt *ignorantia per detractionem*, vel uno nomine *inſcientia*. Ignorantia *pravæ affectionis* vocatur a Græcis κατὰ σύνθεσιν, a Latinis vocari poteſt *ignorantia per poſitionem*, vel *falſa perſuaſio*. De utraque meminit etiam Plato in Sophiſta, & l. 9. de leg.

re debet. (2) At ignorantia *negationis*, ſeu inſcientia, modo ex ignavia non oriatur, non ſolum reprehendenda non eſt, ſed etiam interdum laudanda. Ut enim ponit Quinctilianus lib. 1. c. 8. *inter virtutes Grammatici aliqua neſcire*, ita nos ponimus inter virtutes Philoſophi ignorare tum nimis exigua, tum nimis grandia; illa quod infra nos ſint, hæc quod ſupra nos. Igitur qui vere ſcit, ſciat eſſe quædam, quæ ſciri non poſſunt, quia humanæ mentis aciem ſuperant; quædam quæ ſciri non debent, quia, ut ſcribit Seneca de brevit. vit. c. 13. *ſive contineas, nihil tacitam conſcientiam juvant, ſive proferas, non doctior videberis, ſed moleſtior*. (3)

CA-

(2) Quinctilianus l. 1. c. 6. *Error quoque honeſtus videtur magnos duces ſequentibus*. Seneca epiſt. 123. *Recti apud nos locum tenet error, ubi publicus factus eſt*.

(3) Auguſtinus in Ench. c. 17. *Melius eſt quædam neſcire, quam ſcire, ut vilia*. Idem de Doctr. Chriſt. l. 2. c. 7. *Nemo ex me ſcire quærat, quod me neſcire ſcio; niſi forte ut neſcire diſcat, quod ſciri non poſſe ſciendum eſt*. Et Cicero Tuſcul. 1. c. 25. *Anima animus, igniſve ſit, neſcio; nec me pudet, ut iſtos, fateri neſcire, quod neſciam*.

# CAPUT XXI.

## DE SAPIENTIA.

### *QUID EST SAPIENTIA?*

℟. Cum ſcientia ad faſtigium pervenit, nobilius nomen induit, & vocatur ſapientia. Nam & Dialecticus, & Phyſicus, & Mathematicus, ſi maxime excellat, ſapiens dicitur. Hinc veteres illi auctores artium ac diſciplinarum ſapientes a Græcis ſunt nominati. (1)

### *Eſtne alia ſapientiæ ſignificatio?*

℟. Nulla vox eſt in orbe diſciplinarum, quæ plura ſignificet. Sed ut ſignificationes minus proprias omittamus, interdum ſapientia eſt habitus quidam ſimplex, a ceteris diſtinctus & ceterorum princeps, qui per altiſſimas cauſſas ingrediens, & ſua ſibi principia conſtituit, & cujuslibet ſcientiæ principia dijudicat: quo nomine in ſcholis Peripateticis ſignificatur Metaphyſica. (2) Interdum

 ſapien-

(1) Interdum traducitur nomen hoc etiam ad excellentes artifices, ut ad Phidiam & Polycletum, ut ſcribit Ariſtoteles lib. 6. Ethic. cap. 7.

(2) Hæc ab Ariſtotele ibidem vocatur ἐπιςήμη τῶν τιμιωτάτων, *ſcientia rerum honoratiſſimarum*, & dicitur habere rationem capitis. Sine hac Plato ſcribit in lib. 7. de rep. reliquas diſciplinas eſſe cæcas. Quamquam a Platone non Metaphyſica, ſed Dialectica vocatur tum eo loco, tum alibi ſæpe.

ſapientia eſt cumulus quidam multorum habituum, ideſt perfecta & abſoluta omnium comprehenſio diſciplinarum, per quam de rebus omnibus diſſeri poteſt & judicari. Id ſignificat Cicero, cum ſcribit in lib. 2. de Offic. c. 2. *Sapientiam eſſe rerum divinarum & humanarum, cauſſarumque, quibus hæ res continentur, ſcientiam.* (3)

*Quid eſt ſapientia Stoicorum?*

℞. Recte quæris, & loco quæris; ſed nihil eſt, de quo minus reſpondere velim: quia Stoici hoc nomine invidioſo & obſcuro (ut dicitur a Cicerone de Amicit. c. 5.) nimis multa complectuntur; & quidem ejuſmodi, ut quædam vix in hominem cadere poſſint. Qui modum ſervant, ſapientiam eſſe dicunt excellentem quamdam & præſtabilem intelligendi & agendi virtutem, quæ nullo tempore, nullo loco, nullaque conditione varietur. Ceterum qui dicunt, ſapientem in quovis fortunæ ſtatu eſſe liberum, eſſe ſanum, eſſe formoſum, eſſe divitem, eſſe regem, eſſe beatum; & omnia, quæ ubique ſunt, eſſe ſapientis; abeunt ad extrema. (4)

*Sa-*

(3) Seneca idem habet multis in locis, niſi quod cenſet tollendam eſſe vocem *cauſſarum*: Ita epiſt. 89. *Supervacua* (inquit) *mihi videtur hæc adjectio, quia cauſſæ divinorum humanorumque partes ſunt*. Ego opinor *cauſſas* contineri in voce *ſcientia*: quia nihil ſciri poteſt niſi per cauſſas.

(4) De hoc genere ſapientiæ Stoicæ, quæ in hominem cadere nequit, vide Ciceronem in Orat. pro Muræna, & in principio de Amicit. Horatium lib. 1. Serm. Sat. 3. & lib. 1. epiſt. 1.

*Sapientiæ nomen nonne etiam prudentiæ tribuitur?*

℞. Sapientia vulgo uſurpatur pro prudentia. Nam qui in rep. adminiſtranda, in regenda familia, & in totius vitæ morumque cultu plurimum præſtat, ſapiens nominatur. Ceterum Thales & Anaxagoras (ut ſcribit Ariſtoteles in lib. 6. Ethic. c. 7.) cum minime prudentes eſſent, attamen ob eximiam doctrinam ſapientes ſunt appellati. Ex quo apparet, ſapientiam ſeparari a prudentia poſſe. (5)

CA-

(5) Ad hoc ſapientiæ genus referenda ſunt Afranii carmina apud Gellium lib. 13. c. 8.

*Uſus me genuit, mater peperit memoria.*
*Sophiam vocant me Graji, vos ſapientiam.*

Carmina hæc pertinere dicit Gellius ad eum, *qui ſapiens eſſe rerum humanarum velit*. Cicero quoque *ſapientiam* pro prudentia uſurpavit in Orat. c. 21. n. 70.

# CAPUT XXII.

## DE OPINIONE.

### *QUID EST OPINIO?*

℞. Est imbecilla aſſenſio cum metu partis adverſæ conjuncta. (†) Differt a ſcientia tum ratione materiæ, quia ſcientia verſatur in rebus univerſalibus ac neceſſariis, opinio in ſingularibus & mutabilibus; tum ratione modi & cauſſæ, quia ſcientia oritur ex demonſtratione, opinio ex probatione communi; ideoque illa firma eſt, hæc infirma. Differt a fide humana; quia hæc non ratione, ſed auctoritate nititur: & interdum quidem auctoritas tanti eſt apud nos, ut omnem formidinem excludat. (1) Differt demum a ſuſpicione; quia hæc eſt levis quædam credulitas, ex conjectura orta.

### *Opinio poteſtne conſiſtere cum ſcientia?*

℞. Opinio non poteſt in eodem de re eadem cum ſcientia conſiſtere: (††) quia mens non poteſt ſimul eſſe certa & incerta, firma & infirma. Nam qui ſcit, evi-

† *L.* 1. *c.* 194. 195. 196.
†† *L* 1. *c.* 199. 200. 201.

(1) Ob hanc rationem ſcribit Ariſtoteles in lib. 4. Topic. cap. 5. *Fidem eſſe opinionem vehementem.*

evidentiſſime cognoſcit, rem aliter ſe habere non poſſe; qui opinatur, metuit, ne res aliter ſe habeat. Id Stoici adeo ratum habebant, ut qui ſemel ad ſapientiam perveniſſet, eum de re nulla amplius opinari poſſe dicerent. Nos ſapienti concedimus, ut aliquando opinetur, non tamen de re, quam ſcientia comprehendit. (2)

*Poteſtne ſimul eſſe cum fide?*

℟. Opinio cum fide humana coaleſcere poteſt; modo hæc ab ejuſmodi oriatur auctoritate, quæ non omnem prorſus dubitationem excludat: at cum fide divina nullo modo poteſt conſociari; quia fides divina immutabilem animi firmitatem ſine controverſia requirit.



(2) Stoici ingentem imaginem rei vanæ fingentes, ſapientem ſuum ſupra communem humanæ vitæ neceſſitatem ponebant. Cicero pro Muræna cap. 29. *Sapientem nihil opinari, nullius rei pœnitere, nulla in re falli, ſententiam mutare numquam.*

# CAPUT XXIII.

## DE SAGACITATE.

### *QUID EST SAGACITAS?*

℟. EST naturalis quædam ſollertia & calliditas ad inveſtigandas celeriter cauſſas, (†) quæ adhibentur in demonſtrando: ut ſiquis videns Lunam, qua parte Solem aſpicit, valde fulgere, ſtatim conjiciat, eam non ſuo, ſed alieno lumine illuſtrari. (1)

### *Sagacitas pertinetne ad ſcientiam, an ad opinionem?*

R. Tota ſagacitatis vis & natura in acuta celerique inventione cauſſæ ſeu argumenti poſita eſt. Itaque ſi argumentum ſit neceſſarium, ſagacitas pertinet ad ſcientiam; ſi ſit probabile, pertinet ad opinionem. Differt autem ab utraque, non re, ſed ratione & modo quodam.

CA-

† *Lib. 1. c. 202.*

(1) Cicero de Divinat. l. 1. c. 31. *Sagire, ſentire acute eſt: ex quo Sagæ anus, quia multa ſcire volunt; & ſagaces dicti canes.*

# CAPUT XXIV.

## DE MATERIA ET INSTRUMENTO DEMONSTRATIONIS.

### *QUID EST, QUOD DEMONSTRATUR?*

℞. ID, quod cauſſam habet neceſſariam, per quam demonſtretur; (†) ideſt propria rei affectio. Nam res ipſa ſeu ſubſtantia, cum ſit per ſe, demonſtrari non poteſt. Itaque in homine ex. gr. *facultas ridendi* demonſtrationem capit, *ratio* non capit. (1)

### *Quodnam eſt demonſtrationis medium?*

℞. Demonſtrationis medium Definitio eſt, quæ cauſſam rei demonſtrandæ continet, ſive ſit definitio ſubjecti, ſive prædicati, ſive utriuſque. Ita ſi probare velim, hominem poſſe ridere, medium erit hominis definitio, ideſt *animal rationale*: ſi probare velim, Lunam deficere per eclipſim, medium erit eclipſeos

† *L.* 2. *c.* 37.

(1) Nomine propriæ affectionis intelligitur non ea tantum, quæ cauſſam habet internam, ut eſt *facultas ridendi*; ſed etiam illa, quæ cauſſam habet externam, modo ſit cauſſa propria & neceſſaria, ut *eclipſis Lunæ*, quæ demonſtratur per interjectionem terræ. Utraque demonſtratur per cauſſam; illa per materiam, hæc per efficientem.

pſeos definitio, ideſt *interjectio terræ inter Solem & Lunam*. (2)

*Definitio poteſtne demonſtrari?*

℟. Definitio principii rationem habet, & eſt ἀναπόδεικτος, ideſt *indemonſtrabilis*, ſi ita loqui licet. Cum enim definitio ſit demonſtrationis medium, (†) ſi ipſa quoque demonſtraretur, per aliud medium demonſtraretur, atque ita iretur in infinitum. (3)

*Nonne per diviſionem a quibuſdam demonſtratur?*

℟. Nempe a Platonicis. Re vera definitionis partes inveniri dividendo poſſunt, non tamen concludi: (††) Ex. gr. per diviſionem Categoricam inveniri poſſunt partes duæ, quæ hominis definitionem conſtituunt, *animal*, & *rationale*, non tamen argumento probari; ut pluribus oſtendetur in cap. 27. (4)

*Quid*

† *L. 2. t. 30.*
†† *L. 1. t. 152. l. 2. t. 14.*

(2) Si affectio demonſtranda oritur a cauſſa interna, ideſt a ſubjecto, in quo eſt, demonſtratur per definitionem ſubjecti: ex. gr. *facultas ridendi* demonſtratur per definitionem *hominis*: ſi oritur a cauſſa externa, demonſtratur per definitionem prædicati: ex. gr. *eclipſis Lunæ* demonſtratur per definitionem eclipſeos. v. c. 25. de Cauſſis.

(3) Medium Græce μέσον, latine *argumentum* dici poteſt. Eſt autem id, quod aſſumitur ad fidem faciendam. Idem *demonſtrandi principium* appellant Dialectici, quod alia demonſtret, ipſum autem demonſtrari nequeat. Sola porro definitio eſt hujuſmodi. Nam axiomata vel notiſſima in definitionem reſolvuntur, & per eam patefiunt.

(4) Inventis partibus, remanet probandum, & eas partes eſſe, & probe coaleſcere in naturam unam. Neutrum enim ſequitur ex virtute diviſionis. Nam v. gr. ſi invenias aliquem eſſe *bonum*, & eſſe *Muſicum*, non continuo ſequitur eum eſſe *bonum Muſicum*.

*Quid ſi definitio per ſui ipſius definitionem demonſtretur?*

℞. Quidam definitionem v. gr. hominis per definitionis definitionem demonſtrant hoc ferme pacto. (†) *Oratio conſtans ex genere & differentia rei, eſt ejus definitio; hæc eſt oratio conſtans ex genere & differentia hominis; eſt igitur hominis definitio*. Sed hoc ſyllogiſmo idem probatur per idem, & principium petitur. Nam medium non differt a prædicato concluſionis. Quid eſt enim *definitio*, niſi *oratio conſtans genere & differentia?* Duo hæc verbo differunt, re idem ſunt. (5)

*Num ſaltem demonſtrari poteſt per definitionem contrarii?*

℞. Sunt qui definitionem contrarii ſumant ad rei definitionem demonſtrandam. (††) ex. gr. ut probent, bonum eſſe id, cujus *ratio & natura eſt individua*, ſumunt definitionem mali, cujus *ratio & natura eſt dividua*; atque ita diſputant: *Contrariorum contraria eſt ratio; malum eſt id, cujus ratio & natura eſt dividua; bonum igitur eſt id, cujus ratio & natura eſt individua*. Argumentum hoc probat obſcurum per obſcurum: nam cui ignota eſt natura unius contrarii, ignota eſt etiam natura alterius. Præterquamquod ſi definitio boni poteſt demonſtrari per definitionem mali, etiam definitio mali po-

† *L.* 2. *t.* 26.
†† *L.* 2. *t.* 28.

(5) Principia Logica, cujuſmodi eſt definitionis definitio, ſunt communia probandi inſtrumenta, quæ faciunt fidem aliquam, non plenam: ideoque allatum argumentum dici non poteſt apodicticum & neceſſarium; dici tamen poteſt dialecticum & probabile, ut obſervat Petrus Ramus.

poteſt demonſtrari per definitionem boni; proindeque fieret quædam in orbem demonſtratio, inanis & nugatoria. (6)

*Definitio poteſtne demonſtrare?*

℞. Definitio nequit induere vim & naturam demonſtrationis: (†) quia demonſtratio affirmat aliquid aut infirmat, ajendo vel negando; definitio autem eſt ſimplex quædam rei comprehenſio, quæ nihil ait, nihil negat. Hinc ab Ariſtotele dicitur *terminus unus atque individuus*, & ad ſimplicem perceptionem refertur. (7)

CA-

† *l. 2. t. 16. 17. 34.*

(6) Argumenta iſtiuſmodi a contrariis ducta valent in diſputationibus Dialecticis ad faciendam fidem aliquam; quamvis non valeant in Analyticis ad demonſtrandum. Porro definitio boni modo allata Pythagoreorum eſt.

(7) Itaque ajunt Peripatetici Definitionem non eſſe *modum ſciendi*, ſed eſſe pediſequam *modi ſciendi*, ideſt demonſtrationis. Porro totum id intelligendum eſt de definitione οὐσιώδει, quæ rei naturam & eſſentiam declarat. Nam αἰτιώδης, quæ cauſſam rei continet, quodammodo demonſtrat; nec differt a ſyllogiſmo niſi ordine verborum.

# CAPUT XXV.

## DE CAUSSIS AD DEFINIENDUM ET DEMONSTRANDUM IDONEIS.

### *QUID EST CAUSSA IN UNIVERSUM?*

℞. CAuſſa eſt, quæ ſua vi efficit id, cujus eſt cauſſa. († ) Quatuor porro numerantur, *materia*, *forma*, *efficiens*, & *finis*. *Materia* dicitur id, ex quo aliquid fit; *forma* per quod; *efficiens* a quo; *finis* propter quod. (1)

### *Quænam cauſſa adhibetur in affectionis definitione?*

℞. Scilicet illa, a qua affectio proxime oritur. Et ſi forte multæ ſint, una tamen eſt propria & proxima,

L quæ

† L. 2. t. 48.

(1) Cicero in Partit. cap. 32. *Cauſſam appello rationem efficiendi; eventum id, quod eſt effectum*. Seneca ep. 65. *Quinque cauſſæ ſunt, ut Plato dicit: id, ex quo; id, a quo; id, quo; id, ad quod; id, propter quod; noviſſime id, quod ex his eſt. Tamquam in ſtatua id, ex quo, æs eſt; id, a quo, artifex eſt; id, quo, forma eſt, quæ aptatur illi; id, ad quod, exemplar eſt, quod imitatur is, qui facit; id, propter quod, facientis propoſitum eſt; id, quod ex iſtis eſt, ipſa ſtatua*. Quintum genus cauſſæ admittebat Plato propter ideas ſuas, quas putabat exemplaria eſſe rerum omnium. Alii quidam nullam cauſſam admittunt præter *efficientem*, quia hæc una vere & proprie facit. *Finis* non facit, ſed allicit: *materia* & *forma* non faciunt, ſed conſtituunt & componunt.

quæ in definitione collocatur, & ad demonſtrandum valet.

*Affectio a quanam cauſſa proxime oritur?*

℟. Affectiones quædam oriuntur a ſubjecto, in quo ſunt, & dicuntur habere cauſſam internam; ut facultas ridendi in homine, quæ oritur ab ipſa hominis natura: quædam oriuntur aliunde, & dicuntur habere cauſſam externam; ut eclipſis Lunæ, quæ oritur ab interjectione terræ; mercatorum labores, qui oriuntur a contemplatione divitiarum. (2)

*Quomodo appellatur cauſſa interna?*

℟. Modo *materia* dicitur, (†) modo *neceſſitas materiæ*; quia, quæ ita oriuntur, neceſſario oriuntur. (3)

*Quo-*

† *L. 2. t. 53. 54.*

(2) In iis, quæ cauſſam externam habent, cauſſa non differt a re, cujus eſt cauſſa, niſi quatenus pars differt a parte. Itaque quoties demonſtrantur, demonſtratio non differt a medio ſuo, ideſt a definitione, niſi per ordinem verborum: ex. gr. Eclipſis Lunæ definitur: *obſcuratio Lunæ ob interjectionem terræ*. Per eadem hæc verba formatur demonſtratio, adhibita *interjectione* loco antecedentis, *obſcuratione* loco conſequentis. Hoc modo pars definitionis dicitur demonſtrari per partem, ac veluti materia per formam. In iis, quæ cauſſam habent internam, demonſtratio differt a medio ſuo; ut cum *facultas ridendi* demonſtratur per definitionem *hominis*. Hæc pertinent ad intelligenda obſcura quædam & involuta a tex. 37. uſque ad t. 47.

(3) Cauſſa igitur interna in demonſtrando una eſt, ideſt *ſubjectum* affectionis, quæ demonſtratur: quod *ſubjectum* modo *materia* dicitur, modo *materiæ neceſſitas*, modo *efficiens per emanationem*. Porro *materia* dicitur; quia affectionis *materia* non eſt alia, quam ſubjectum ipſum, unde oritur, & cui ineſt.

*Quomodo appellatur externa?*

℟. Modo efficiens, cujuſmodi eſt in primo exemplo interjectio terræ; modo *finis*, cujuſmodi eſt divitiarum contemplatio in altero.

*Quænam ex his potiſſima eſt?*

℟. Pro rerum diverſitate ea eſt omnium potiſſima, quæ proxime effectum attingit, ſive ſit interna, ſive externa. Ea porro dicitur effectum proxime attingere, a qua reliquæ pendent. Itaque hæc una in definiendo, & demonſtrando adhibetur.

*Quodnam judicium de* forma *ferendum eſt?*

℟. *Forma* in demonſtrando locum non habet. Nam forma quidem ipſius affectionis demonſtrandæ inepta eſt: ſiquidem nihil demonſtratur per ſe ipſum. Forma vero ſubjecti, in quo eſt affectio, gaudet *materiæ* nomine: ſiquidem totum ſubjectum, & quidquid in ſubjecto eſt, unde affectio oriatur, *materia* ejus dicitur. (3)



(3) Hinc apparet, cur ridendi facultas dicatur ab Ariſtotele oriri *ex neceſſitate materiæ*: ſcilicet quia oritur ex toto ſubjecto, in quo eſt; eoque poſito, neceſſario ſequitur. Apparet etiam tres tantum cauſſas habere locum in demonſtrando; videlicet externas duas, *efficientem*, & *finem*; internam unam, quocumque appelletur nomine, ſive *materia*, ſive *neceſſitas materiæ*. Sicubi *formam* nominat Ariſtoteles, hac voce definitionem ſignificat.

# CAPUT XXVI.

## DE DEFINITIONIS NATURA ET PARTIBUS.

### *QUOMODO ARISTOTELES DEFINITIONEM EXPLICAT?*

℟. QUod attinet ad rem præſentem, definitio in tres formas dividitur; atque ita diviſa cum demonſtratione ab Ariſtotele comparatur. Alia eſt definitio, quæ vulgo *eſſentialis* dicitur; alia, quæ vocatur *cauſſalis*; alia denique *plena & perfecta*. *Eſſentialis* eſt, quæ eſſentiam affectionis aperit, ut cum eclipſis Lunæ dicitur eſſe *defectus luminis in Luna*. *Cauſſalis*, quæ cauſſam exprimit, a qua pendet affectio, ut cum eclipſis Lunæ dicitur *interjectio terræ inter Solem & Lunam*. *Perfecta & abſoluta*, quæ utramque complectitur; ut cum eclipſis Lunæ dicitur *defectus luminis in luna ob interjectionem terræ inter ipſam & Solem*. Prima appellatur ab Ariſtotele *concluſio demonſtrationis*; (†) quia cum eclipſis Lunæ ratione demonſtratur, hoc eſt per ſuam cauſſam veram & propriam, locum tenet concluſionis. Secunda appellatur *principium demonſtrationis*, quia ſumitur tamquam principium & argumentum ad oſtendendum defectum luminis in Luna. Tertia appellatur *oratio poſitione tantum a demonſtratione differens*. Nam cum contineat rei

† 1 *t.* 64. & *l.* 2. *t.* 45. 46 47.

rei eſſentiam & cauſſam, continet totam demonſtrationem, verborum dumtaxat ordine diverſam, quatenus prima definitionis pars occupat locum poſtremum in demonſtratione. (1) Porro tota hæc doctrina pertinet ad definitionem affectionis, quæ ſimul declarat quid ſit, & cur ſit; non ad definitionem ſubſtantiæ, quæ cauſſa caret, & ſignificat dumtaxat quid ſit. Id monet Ariſtoteles ipſe in t. 46. l. 2.



(1) Syllogiſmus, qui huic doctrinæ reſpondet, & definitionem continet, eſt hujuſmodi: *Quoties interjicitur terra inter Solem & Luuam, toties eſt defectus luminis in Luna; nunc interjicitur terra inter Solem & Lunam; nunc igitur eſt defectus luminis in Luna*. Luna enim (inquit Cicero lib. 2. de nat. Deor. c. 49.) incidens in umbram terræ, cum eſt e regione ſolis, interpoſitu interjectuque terræ repente deficit.

# CAPUT XXVII.

## DE LOCIS DEFINITIONIS, QUÆ ESSENTIAM REI APERIT.

### *UBI AGIT DE LOCIS DEFINITIONIS ARISTOTELES?*

℟. DE Locis definitionis inveniendæ incipit agere Ariſtoteles in cap. 13. l. 2. quæ pars Topica demonſtrationis dici poteſt. Ac primum quidem docet, quomodo invenienda ſit definitio, quæ eſſentiam rei aperit; deinde qua ratione illa quoque inveniri poſſit, quæ aperit cauſſam.

*Quomodo invenitur prima?*

℟. Duplici via & ratione inveniri poteſt quid res ſit, colligendo, & dividendo.

*Cedo mihi quomodo inveniatur colligendo.*

℟. Modus hic appellatur *Inductio*. († ) Quoties igitur alicujus rei definitionem inveſtigare volumus, quæ res univerſalis ſit ( neque enim definiri poſſunt niſi univerſalia ) conſiderare oportet, quomodo conve-

† *L. 2. t. 80.*

veniant, & quomodo differant ſingula, quæ in illa continentur; donec inveniatur communis quædam ratio; quæ ratio inventa cum fuerit, habebitur definitio. Quod ſi ratio hæc rebus ſingulis communis inveniri non poterit, argumento erit, eas genere diverſo contineri, nec una definitione comprehendi poſſe. (3)

*Fac ut explices exemplo aliquo.*

℟. Exemplum ab Ariſtotele ſumo. († ) Si mihi inveſtiganda ſit magnanimitatis definitio, quæro quinam dicantur viri magnanimi; cumque inveniam, magnanimos dici Achillem, Ajacem, & Alcibiadem, quia injurias ferre noluerunt; tum vero etiam Lyſandrum, & Socratem, qui æquum animum in utraque fortuna ſervarunt; diligenter examino, num duo hæc, *non ferre injurias*, & *æquum ſervare animum in utraque fortuna*, ad unam aliquam communem rationem revocari poſſint. Si poſſunt, habeo definitionem unam & perfectam: ſi non poſſunt, ſtatuere oportet,



† *L.* 2. *t.* 81.

(3) Modum hunc inveniendæ definitionis non alienum eſſe a doctrina Platonis, contendit Patritius in Diſcuſſ. Peripat. t. 3. l. 4. p. 319. & quidem jure, ut colligitur ex Alcinoi Inſtitut. ad doctr. Platon. c. 5.

geminam eſſe magnanimitatis rationem, ideoque definitiones duas poſtulare. (4)

*Cedo nunc quomodo inveniatur definitio dividendo.*

℞. Primum quidem videre oportet, res definienda cujus ſit categoriæ: (†) deinde illius categoriæ genera per oppoſitas differentias dividenda ſunt; donec ea differentia inveniatur, per quam conſtet rei definitæ natura: tum ex hac & genere proxime diviſo conficitur oratio, quam definitionem dicimus. Ex. gr. definiendus ſit *homo*. Statim apparet, hominem comprehendi in categoria ſubſtantiæ. A primo igitur ſubſtantiæ genere exorſus, dividendo progredior uſque ad *animal*, quod ipſum dividens *in rationis particeps*, & *ra-*

† *L. 2. t. 72. 73. 74. & ſeq.*

(4) Ariſtoteles in lib. 4. Ethic. c. 3. ſcribit, magnanimi eſſe æquum animum in utraque fortuna ſervare; quod fecere Lyſander, & Socrates: at de intolerantia injuriarum non meminit; quæ proinde alio revocanda videtur. Quamquam hæc ipſa ad magnanimitatem eo nomine traduci poteſt, quod qui magno eſt animo. & magna omnia ſpectat, non patitur ſe contemni. Non deſunt qui putent, quidquid magnum & eximium eſt in virtutibus omnibus, ad magnanimitatem referri; ideoque ejus rationem eſſe multiplicem & ambiguam. Porro ex hujus loci doctrina apparet, quomodo conjugata concreta adhibeantur ad aperiendam naturam abſtractorum: qua de re vide Part. 2. c. 4. de *qualitate*.

& *rationis expers*, facile cognoſco me in hominis differentiam incidiſſe, quæ *ratio* eſt. Ex hac igitur & proximo genere *hominis* definitionem compono ita prorſus, *animal rationis particeps*. (5)

*Nonne hic eſt modus quidam demonſtrandæ eſſentiæ?*

℟. Ita viſum eſt Platonicis quibuſdam, qui proinde demonſtrandi vim diviſioni tribuerunt. († ) Ajunt autem, hoc ferme pacto fieri ſyllogiſmum: Animal vel eſt rationis particeps, vel rationis expers; homo eſt animal; ergo vel rationis particeps, vel expers: non eſt autem expers, ergo particeps. At hic argumentandi modus peccat ea fallacia, quæ dicitur *petitio principii*, αἴτησις τοῦ ἐν ἀρχῇ. Sumit enim tamquam notum & conceſſum, *hominem non eſſe rationis expertem*, quod ipſum erat probandum. Diviſio igitur ſer-

† L. 1. c. 23. 24. 25.

(5) Vide modum hunc inveſtigandæ definitionis apud Clementem Alexandrinum lib. 8. Stromat. pag. m. 779. Monet autem Ariſtoteles, utilem eſſe methodum hanc inveſtigandæ definitionis, tum quia facit ut omnes rei definitæ partes ſumamus, quæ ſunt ἐν τῷ τί ἐστι, h. e. *eſſentiales*, ut ſcholæ vocant; tum quia facit, ut ſolas ſumamus; tum demum quia facit, ut eas recte atque ordine collocemus.

Digitized by Google

ſervit definitioni, & valet ad inveſtigandas partes eſſentiæ, non ad probandas. (6)

C A-

(6) Inde etiam colligi poteſt vitium ſyllogiſmi hujus, quod ſubjectum propoſitionis latius patet prædicato. Nam *rationis particeps*, & *rationis expers*, cum disjungantur per particulam *vel*, non poſſunt æquare *animal*. Hoc autem contra leges enunciandi eſt. Præterea cum *animal*, & *rationis particeps* ſint partes definitionis, in hac argumentatione deeſt medium, quo partes iſtæ conjungantur. Ubi autem deeſt medium, non poteſt eſſe demonſtratio. Totum id eo ſpectat, ut appareat definitionem eſſe ἀναπόδεικτον, hoc eſt *demonſtratione carere*, quia ipſa debet eſse demonſtrationis medium. V. Cap. 2.4

# C A P U T XXVIII.

## DE LOCIS DEFINITIONIS, QUÆ CAUSSAM REI CONTINET.

### *QUOMODO INVENITUR DEFINITIO PER CAUSSAM?*

℞. UT inveniatur definitio per cauſſam, invenienda eſt cauſſa ipſa: cauſſa porro ut inveniatur, per effectum inveſtiganda eſt. Effectu igitur per omnia excuſſo, ſi multiplex ejus appareat cauſſa, remotis ambiguis, communibus, & minus propriis, ea ſola cenſetur idonea, quæ id quod efficit, neceſſario efficit, & cum eo reciprocatur. (1)

### *Quid ſi effectus oriatur a duplici cauſſa?*

℞. Si cauſſa duplex ſit, altera procul dubio erit remo-

(1) Verbi gr. Si quæſtio ſit de Eclipſi Lunæ, videndum eſt quid ſit id, unde oritur Eclipſis: cumque apparuerit, inter cauſſas omnes, quæ afferri ſolent, ſolam interpoſitionem terræ eſſe cauſſam neceſſariam & reciprocam, hanc ſumemus, & definitione comprehendemus. Id Ariſtoteles explicat alio exemplo in t. 90. ad cujus loci intellectum advertere oportet, cauſſam ita debere eſſe neceſſariam, ut eſt in cap. 4. lib. 1.

Digitized by Google

remota. Nam proxima & neceſſaria, per quam definitur ad demonſtrandum, una eſt. (2)

*Quid ſi multorum effectuum una reperiatur cauſſa?*

℞. Interdum accidit, ut plurium effectuum una videatur eſſe cauſſa, ut cum a repercuſſione dicimus oriri tum echo, tum iridem, tum imaginem, quæ apparet in ſpeculo. Sed cauſſa hujuſmodi una eſt genere; ceterum ſpecie multiplex eſt. Nam Echo fit per repercuſſionem aeris, iris per repercuſſionem radiorum ſolarium, imago in ſpeculo per repercuſſionem ſpecierum, qualeſcunque ſint. Quærendo autem cauſſam, deſcendere debemus a genere ad ſpeciem, a ſpecie ad individua; ut ea demum detegatur, quæ effectui proxima eſt, propria, & reciproca. (3)

CA-

(2) Explicat exemplo Ariſtoteles in c. 89. Si quæratur, cur Nilus vertente menſe (intellige Lunarem) ſit concitatior, gemina afferri poteſt cauſſa; prima quia Luna deficit, & hæc quidem remota eſt; altera, quia poſtrema pars menſis pluviis abundat, atque hæc proxima eſt, ideoque ad rem præſentem idonea.

(3) Interdum a genere cauſſa propria & proxima ducitur. Ita non dicam, lucem oriri a Sole & ab igne, tamquam a cauſſis duabus; quia lux non oritur a Sole, quatenus Sol eſt, nec ab igne quatenus ignis eſt: ſed dicam lucem oriri a corpore lucido, tamquam a cauſſa una; proindeque corpus lucidum in genere toto erit cauſſa vera & propria. Eadem ratione ſi de laude quæratur, quæ ex variis virtutum officiis manat, non virtutes ſingulæ afferendæ ſunt, tamquam cauſſæ multæ unius effectus, h. e. laudis, ſed afferri debet generalis virtutis habitus, tamquam cauſſa una.

# CAPUT XXIX

## DE IIS, QUÆ DEFINITIONEM CAPIUNT.

### *CUR DIXISTI PAULLO ANTE SOLA UNIVERSALIA DEFINIRI?*

℞. QUia ſicuti res ſingulares non capiunt demonſtrationem († ) ita neque definitionem. (1) Uno verbo eorum eſt definitio, quorum eſt ſcientia; ſcientiam autem non eſſe niſi rerum univerſalium, oſtendimus in cap. 19. hujus Partis, & in Par. 1. cap. 1.

*Poſſuntne Univerſalia omnia definiri?*

℞. Ea ſola definiri poſſunt, quæ certo genere & certa differentia conſtant; aut cauſſas habent notas atque exploratas, per quas aperiantur. (2)

*Naturæ ſimplices poſſuntne definiri?*

℞. Animadverterunt juniores Dialectici, naturas ſim-

† L. 1. t. 64.

(1) Cum quis res ſingulares, earumque naturam oratione aperit, non definitione, ſed deſcriptione uti dicitur.

(2) Definitio dici poteſt reſolutio alicujus rei in partes, ex quibus conſtat: ut cum dico, hominem eſſe *animal rationale*, reſolvo hominem in duas partes, ex quibus ejus natura componitur. Quæ igitur partibus carent, cujuſmodi eſt Deus, definiri non poſſunt.

plices definiri non poſſe; quia quod partes non habet, non poteſt per partes explicari, ideſt per genus & differentiam. Hujuſmodi ſunt apud illos motus, dolor, voluptas, lux, color, & ſimilia, quæ ſenſibus quidem percipi poſſunt, at explicari per definitionem non poſſunt. Ariſtoteles tamen in his ipſis aliquid invenit, quod partium loco eſt, & Scholaſticam definitionem capit. Itaque ab eo definitur motus, *actus entis in potentia prout eſt in potentia*. Nam revera quod movetur, in *actu* eſt, ſed in *actu* porro pergente, ideoque cum *potentia* quadam conjuncto. Extra ſcholam, ubi quid ſit *actus* & *potentia* non plane conſtat, hæc definitio minus videtur idonea. (3)

CA-

(3) Plutarchus de Placit. Philoſoph. l. 1. c. 23. ſcribit, motum ab Ariſtotele duobus verbis definiri, ἐντελεχείαν κινητοῦ, *actum perpetem rei mobilis*. Ceterum ideas ſimplices definiri non poſſe, magna contentione probat Lokius l. 3. de hum. intell. c. 4. & eum ſequutus Clericus in Logicæ part. 1. cap. 2. §. 11. & ſeq. Uterque autem loquitur de definitione plena & perfecta. Nam imperfecta cadit in ſimplicia quælibet; quatenus cauſſas habent & effecta, antecedentia & conſequentia, adjuncta & conjuncta, attributioneſque alias, per quas deſcribi poſſunt, & ab aliis rebus ſeparari: modo cum eo diſputemus, qui integris ſenſibus præditus ſit.

# CAPUT XXX.

## DE QUÆSTIONIBUS.

### *QUID EST QUÆSTIO?*

℟. Quæſtio, ut definitur a Cicerone in Acad. 4. c. 8. *eſt appetitio cognitionis, ejus finis inventio*. Quæſtio igitur omnis refertur ad ſcientiam comparandam ejus rei, de qua quæritur. (1)

### *Quotuplex eſt?*

℟. Quatuor ſunt quæſtionum genera, *an ſit*, *quid ſit*, *quale ſit*, *cur ſit*. Duæ priores ſimplices ſunt, quæ ad rei eſſentiam & naturam pertinent; duæ poſteriores ſunt compoſitæ, quæ modos affectioneſque complectuntur. Per ſimplices quæro ex. gr. *an ſit*, *& quid ſit homo*: per compoſitas *an homini inſit ridendi facultas*,

(1) Quæſtio definitur a Boethio *dubitabilis propoſitio*; ab Agricola dicitur *cum interrogatione elata oratio*. Porro illud ipſum, puod argumentando concluditur, & *concluſio* vocatur; *quæſtionis* nomine cenſetur, antequam concludatur.

*tas*, *& cur inſit*. Itaque illæ exprimuntur per pauca, iſtæ per plura. (†) (2)

*Quomodo ſolvuntur?*

℟. Singulæ ſolvuntur per medium, ideſt per cauſſam. († ) Cauſſa autem vel differt a re, cujus eſt cauſſa, vel non differt; ideſt vel eſt cauſa ſubſtantiæ, vel affectionis. Nam ſubſtantia eſt per ſe; affectio eſt per ſubſtantiam ipſam: verbi gratia, ratio, per quam eſt homo, non differt ab homine; ratio per quam homo ridet & admiratur, ab ipſa ridendi & admirandi facultate differt. (††) (3)

*Quodnam eſt medium ſimplicium?*

℟. Quæſtiones ſimplices ſolvuntur per definitionem rei. Nam cum dico ex. gr. *homo eſt animal rationale*, oſten-

† *L.* 2. *t.* 1. *&* 2.
† *L.* 2. *t.* 4. *&* 5.
†† *L.* 2. *t.* 37. *&* 42.

(2) Quatuor eſſe quæſtiones probat Ariſtoteles, quia totidem ſunt res, quæ ſciri de re aliqua poſſunt: ſiquidem vel ſciri poteſt rei *exiſtentia*, quæ pertinet ad quæſtionem *an ſit*; vel *eſſentia*, quæ pertinet ad quæſtionem *quid ſit*; vel *affectio*, quæ pertinet ad quæſtionem *quale ſit*: vel *cauſſa*, quæ pertinet ad quæſtionem *cur ſit*. Rhetores quæſtiones tres faciunt; *an ſit*, quæ dicitur conjecturæ; *quid ſit*, quæ dicitur finitionis; *quale ſit*, quæ dicitur qualitatis. *Cur ſit* non quærunt, quia de cauſſis rerum non laborant.

(3) Id eo ſpectat, ut ſciamus ſubſtantiam demonſtrari non poſſe, quia eſt per ſe; affectiones demonſtrari poſſe, quia ſunt per aliud. V. cap. 24.

oſtendo per partem hominis communem & propriam, *quid ſit*: eademque opera oſtendo *an ſit*; quia quod non eſt, nec partem communem, nec propriam habet. (4)

*Quodnam eſt medium compoſitarum?*

℟. Medium quæſtionum compoſitarum modo definitio rei eſt, modo definitio ipſius affectionis demonſtrandæ, ut eſt a nobis explicatum in cap. 24. de materia demonſtr., & in cap. 25. de Cauſſis. (5)

*Unum idemque medium poteſtne ſolvere quæſtiones omnes?*

℟. Cum affectio quoque habeat eſſentiam ſuam, ſi conſideretur ut eſt, non ut ineſt, capere poteſt duas quæſtiones ſimplices, *an ſit*, & *quid ſit*; ut cum quæro *an ſit* Eclipſis, & *quid ſit*. Hinc fit, ut cum Eclipſis demonſtratur per definitionem plenam, quæ rei eſſentiam & cauſſam continet, omnes quæſtiones ſolvat,

M

(4) Cum dicimus *an ſit*, modo quodam metaphyſico loquimur, non phyſico; proindeque cum definimus, non neceſſe eſt id actu eſſe, quod definimus, modo eſſe poſſit.

(5) Definitionis eſt patefacere, *quid res ſit*. Regit enim primam mentis cognitionem, quæ perceptio dicitur. Attamen nihil repugnat, quin adhibeatur tamquam medium demonſtrationis, ideoque per demonſtrationem ipſam ſolvat quæſtionem compoſitam *cur ſit*.

vat, oſtendens *an ſit* Eclipſis, *quid ſit*, *qualis ſit*, *cur ſit*. (†) (6)

PARS

(6) Hactenus quæſtiones Logicas numeravimus, & quidem ex diſciplina Peripatetica. Ceterum univerſe quæſtiones dividi poſſunt vel pro rerum, de quibus quæritur, differentia; qua ratione alia quæſtio *Analytica* dici poteſt, quæ verſatur in rebus neceſſariis; alia *Dialectica*, quæ verſatur in probabilibus: vel pro vario quærendi modo; qua ratione alia quæſtio *ſimplex* eſt, quæ unum de uno quærit; alia *compoſita*, quæ de uno quærit plura; vel pro artium, ad quas pertinent, diſcrimine; qua ratione quæſtiones aliæ ſunt *cognitionis*, ductæ ex Phyſica & Metaphyſica; aliæ *actionis* ex Ethica & Politica; aliæ *media* ex iis artibus, quæ ad orationem formandam pertinent, Grammatica, Rhetorica, Dialectica. Etiam Auctor artis cogitandi ſuam quamdam quæſtionum diviſionem affert ex Carteſio part. 4. c. 2.

† *L.* 2. *c.* 6.

# PARS IV.

## DE TOPICIS.

TOpica Ariſtoteles fuſe explicuit libris octo : ego paucis pagellis complexus ſum. Attamen opera tam exigua, ni me amor rerum mearum fallit, partem potiſſimam & pulcherrimam doctrinæ hujus in ea luce collocavi, quam jamdiu deſiderabat. Si plura dare voluiſſem, ad exilia veniendum erat, & noſtris adoleſcentibus minus commoda. Proxime ſequuntur Elenchi Sophiſtici; qui, ſi verum quærimus, ne ſeparandi quidem ſunt, ſed unum idemque opus efficiunt. Societas & conjunctio hæc apparet ex poſtremis Elenchorum verbis, quibus Ariſtoteles declarat, ſe omnia perfeciſſe, quæ initio Topicorum propoſuerat; totamque hanc doctrinam uno epilogo concludit.

# CAPUT I.

## DE NOMINE, ET MATERIA TOPICORUM.

*TOPICA UNDE DICUNTUR?*

℞. TOpica dicuntur a græca voce τόπος, ideſt *locus*. Eſt autem locus communis quædam nota, cujus admonitu, quid in quaque re probabile ſit, inveniri poteſt ad problemata Dialectica conſtituenda, & ſolvenda. (1)

*Quænam eſt Topicorum materia?*

℞. Triplex: Problemata, de quibus diſputatur; Propoſitiones, ex quibus diſputatur; Loci tum Problematum, tum Propoſitionum.

*Quinam eſt Topicorum finis?*

℞. Diſputatio recta & idonea de rebus omnibus in partem utramque. (2)

*Diſpu-*

(1) Cicero in Topic. c. 1. *Ut earum rerum, quæ abſcondita ſunt, demonſtrato & notato loco, facilis eſt inventio; ſic cum perveſtigare argumentum aliquod volumus, locos noſſe debemus.*

(2) Hujus diſputationis utilitates recenſet Ariſtoteles in L. 1. Top. c. 2. & Cic. in Tuſcul. 2. c. 3.

*Diſputatio hæc quibus ſit inſtrumentis?*

℞. Inſtrumenta, quibus Dialecticus utitur in diſputando, duo ſunt, Inductio, & Syllogiſmus. Atque Inductio quidem facilior eſt, & ad vulgi ſenſum accommodatior; Syllogiſmus majorem vim habet, & doctorum virorum diſputationibus magis convenit. (3)



(3) Diſcrimen hoc affert Ariſtoteles in l. 1. Top. cap. 12. Ratio in promtu eſt, quia inductio progreditur ex ſingularibus, quæ ſenſibus proxima ſunt; ſyllogiſmus ex univerſalibus, quæ ſunt a ſenſibus remota. Ramus in Animadverſ. Ariſtotel. l. 11. p. m. 17. contendit unam eſſe argumentandi rationem, ſyllogiſmum; inductionem autem non differre a ſyllogiſmo, ſed eſſe ſyllogiſmum quemdam ex partibus.

# CAPUT II.

## DE SYLLOGISMO DIALECTICO.

### *QUINAM EST SYLLOGISMUS DIALECTICUS?*

℞. SYllogiſmus Dialecticus ( qui uno nomine Epichirema vocatur ) eſt ille, qui fit ex probabilibus, & parit opinionem; quemadmodum demonſtrativus fit ex neceſſariis, & parit ſcientiam.

### *Quomodo igitur differt Epichirema a demonſtratione?*

℞. Demonſtratio eſt probatio perfectiſſima per cauſſam rei propriam & neceſſariam; Epichirema eſt probatio quædam per ſigna & effecta. Itaque illa ad Analyticum, hoc ad Dialecticum pertinet, ut docet Ariſtoteles Topic. l. 8. c. 11. (1)

*Con-*

(1) Epichirema Græca vox eſt, quæ *aggreſſionem* ſignificat ἀπὸ τῦ ἐπιχειρεῖν. Dialecticus enim, qui epichiremate utitur, rem non pervincit, ſed quodammodo aggrediendo tentat. Et quia hoc genus argumentandi pertinet etiam ad Oratores, hinc Rhetoricæ artis Magiſtri nomen ipſum ſibi ſumunt. Vide Auctorem ad Herenn. l. 2. cap. 2. Clemens Alexandrinus lib. 8. Strom. mavult Epichirema eſſe opus Rhetoricæ artis, Agoniſma Dialecticæ.

*Concluſio ex probabili eſtne firma?*

℞. Firmiſſima eſt ad diſputandum, ſi concedatur propoſitio & aſſumtio ab adverſario. Itaque veteres Dialectici ſingulas enunciationes prius interrogabant; deinde vero ex conceſſis ſyllogiſmum conficiebant. (2)

*Quid eſt probabile?*

℞. Probabile (ἔνδοξον) definitur ab Ariſtotele lib. 1. Topic. c. 1. *quod probatur omnibus, vel pluribus, vel ſapientibus; hiſque vel omnibus, vel plurimis, vel maxime notis & illuſtribus*. Itaque tota ratio probabilitatis pendet ab judiciis hominum, quemadmodum veritas pendet a natura rerum. (3) Eſt porro *probabile omnibus*, v. g. parentes colendos eſſe; eſt *probabile pluribus*,

M 4 mun-

(2) Diſcrimen inter modum concludendi ex conceſſis, & ex demonſtraris explicat Clemens Alexandr. l. 8. Strom. p. m. 771. Καὶ τὸ μὲν περαίνειν ἐξ ὁμολογουμένων συλλογίζεσθαι ἐστίν. τὸ δέγε ἐξ ἀληθῶν τι περαίνειν ἀποδεικνύειν ἐστίν. *Et quidem concludere ex conceſſis eſt ratiocinari, concludere autem ex veris eſt demonſtrare.*

(3) Hoc probabilitatis genus princeps eſt. Tria inſuper recenſet in cap. 10. l. 1. Topic. quæ hinc oriuntur. Nam primo probabile eſt, quod eſt probabili ſimile: ut ſi una eſt contrariorum ſcientia, probabile eſt unum eſſe contrariorum ſenſum. Deinde probabile eſt, quod eſt probabili contrarium: ut ſi de amicis eſt benemerendum, probabile eſt, de inimicis eſſe male merendum. Poſtremo probabile eſt in arte quælibet, quod a peritis ejus artis aſſeritur, quia credendum eſt cuique in arte ſua.

mundum non eſſe niſi unum; eſt *probabile ſapientibus*, terram moveri. Rurſus eſt *probabile ſapientibus omnibus*, ſine virtute beatum eſſe neminem; eſt *probabile plurimis*, ſolam virtutem ſufficere ad beatitudinem; eſt *probabile maxime notis & illuſtribus*, quidquid placet Ariſtoteli, aut Platoni, aut aliis, quorum ſapientia maxime cognita & perſpecta eſt. (4)

*Quomodo definitur probabile a Cicerone?*

R. *Probabile eſt* (inquit Cicero lib. 1. de Invent. c. 29.) *quod fere fieri ſolet*; *aut quod in opinione poſitum eſt*; *aut quod habet ad hæc quamdam ſimilitudinem; ſive id falſum ſit, ſive verum*. Itaque probabile neque falſum eſt, neque verum; ſed ita in alteram partem inclinat, ut tamen alteri non plane repugnet. Tria ſunt ejus genera. Nam primo probabile eſt, *quod fere fieri ſolet*: qua ratione dicimus filium a matre diligi; quia ita plerumque fit. (5) Deinde probabile eſt, *quod in communi opinione poſitum eſt*; ut Philoſophos eſſe incredulos; quia ita vulgo fertur. Denique probabile dicitur, *quod iſtiuſmodi probabilibus ſimile eſt*; ex. grat. ſi filius

a ma-

(4) Videndum tamen eſt, ne quod probatur ſapientibus, repugnet communi opinioni, ut monet Ariſtoteles Topic. 1. cap. 10. Huc pertinet illud Ciceronis lib. 1. Offic. cap. 41. *Nec quemquam hoc errore duci oportet, ut ſiquid Socrates, aut Ariſtippus contra morem conſuetudinemque civilem fecerint, locutive ſint, idem ſibi arbitretur licere.*

(5) Id videtur appellari poſſe *veriſimile*, quia valde accedit ad verum, & fidem facit ex ipſa rei natura.

Digitized by Google

a matre diligi ſolet, probabile eſt, alumnum diligi a nutrice; ſi Philoſophi parum credunt, probabile eſt, vulgus credere plurimum. (6)

CA-

(6) Tertium hoc probabilium genus dividitur a Cicerone in tria capita: quia ſimilitudo ſpectatur vel in *contrariis*, vel in *paribus*, vel in *relatis*. En tibi ipſa ejus verba in l. 1. de Inven. cap. 30. *Similitudo in contrariis, & paribus, & in iis rebus, quæ ſub eandem rationem cadunt, maxime ſpectatur. In contrariis hoc modo: nam ſi iis, qui imprudentes læſerunt, ignoſci convenit, iis, qui neceſſario profuerunt, haberi gratiam non oportet*. Ex pari, ſic: Nam ut locus ſine portu, navibus eſſe non poteſt tutus: ſic animus ſine fide, ſtabilis amicis non poteſt eſſe. In iis rebus, quæ ſub eandem rationem cadunt, hoc modo probabile conſideratur: Nam ſi Rhodiis turpe non eſt portorium locare, ne Hermacreonti quidem turpe eſt conducere.

# CAPUT III.

## DE PROBLEMATE.

### *QUID EST PROBLEMA?*

℟. EST quæſtio Dialectica, quæ a veteribus Peripateticis efferebatur interrogando. Duabus partibus conſtat vel expreſſis, vel tacitis. Ex. grat. *Voluptas eſtne expetenda, an non?* (1)

### *Quomodo dividitur Problema?*

℟. Tres affert Ariſtoteles problematis diviſiones in lib. 1. Topic. c. 11. Prima eſt, problema vel ipſum propter ſe cognoſcitur, vel propter aliud. Poſterius hoc problematis genus Logicum eſt, quia Logica inſtrumenti rationem habet. Prius dividitur bipartito: alia enim problemata pertinent ad agendum, hoc eſt ad fugam mali, & proſecutionem boni; alia pertinent ad contemplandum. Illa Ethica dicuntur, hæc Phyſica.

Se-

(2) Dicitur a græco προβάλλειν, *projicere*, quod Dialecticus projiceret in medium quæſtionem bipartitam, ſumturus utram partem ſibi dediſſet adverſarius.

Digitized by Google

Secunda diviſio: Aut nulla eſt de problemate hominum opinio; (2) aut in eo diſſentit vulgus a ſapientibus; aut ſapientes ipſi inter ſe diſſident; aut vulgus ſecum.

Tertia diviſio: Alia ſunt problemata vere ac proprie Dialectica, quia rationes probabiles habent in partem utramque: alia ſunt problemata, quæ revera Apodictica ſunt, & capiunt demonſtrationem; ſed tamen Dialectico more pertractantur, ad quamdam animi præparationem. (3)

*Qua in re problema verſatur?*

℞. Problema Dialecticum nullis finibus coercetur: attamen non debet eſſe exlex. Itaque illi conditiones quaſdam præſcribit Ariſtoteles. Prima eſt, ne ſit improbum & pœna dignum; ut ſi quis quærat, *num Deus ſit colendus*. Secunda, ne de iis rebus inſtituatur, quæ ſunt ſenſibus manifeſtæ, v. gr. *utrum nix ſit alba*. Tertia, ne de iis ſit, quæ vel nimis facilia videantur, vel nimis difficilia: nam priora nullam dubitationem afferunt, poſteriora nimiam.

CA-

(2) Velut ſi quæratur, utrum in Luna ſint animalia; utrum Stellæ ſint pares, an impares; & ſimilia, quæ ignota potius, quam dubia dici poſſunt.

(3) Eſt etiam quædam problematis ſpecies, quam *theſim* vocat. Hoc nomine ſignificatur ſententia, quæ omnium hominum opinioni adverſatur; quamvis levi aliqua ratione nitatur, aut etiam alicujus Philoſophi auctoritate: cujuſmodi erat theſis Zenonis, *nihil moveri*. Attamen aliquando *theſis* late ſumitur pro quovis problemate.

Digitized by Google

# CAPUT IV.

## DE PROPOSITIONE.

### *QUID EST PROPOSITIO?*

℟. ALterum materiæ genus, in quo Topica Ariſtotelica verſantur, eſt Propoſitio. Eſt autem propoſitio generalis ſententia per quam breviter locus is exponitur, ex quo omnis vis emanat ratiocinationis ad problema ſolvendum. Hæc ipſa efferebatur a veteribus Dialecticis per interrogationem, & conſtabat parte una: ex. gr. *nonne quod delectat, eſt expetendum?* Apud nos primam Syllogiſmi partem conſtituit, quam *majorem* Scholaſtici dicunt, & caret interrogatione pro modo diſputandi noſtro. (1)

### *Quinam eſt propoſitionis uſus?*

℟. Inventa propoſitione ad problema ſolvendum ido-

(1) A Cornificio dicitur *expoſitio* in lib. 2. ad Herenni. c. 20. A Quinctiliano modo *intentum*, modo *intentio*, habita ratione græci vocabuli πρότασις, quod eſt a προτείνειν, *intendere*, quia intenditur ad problema. Itaque Ariſtoteles ſcribit, propoſitiones & problemata eſſe paria numero, quod ſibi invicem reſpondeant. Poſito enim problemate, ponitur propoſitio, quæ illud ſolvat. Et ſi quod problema propoſitione caret ſibi reſpondente, problema dici nequit, ſed dicitur theſis per ſe nota, vel inexplicabilis.

idonea, facile eſt addere ſumtionem, & ſyllogiſmum conficere: ideoque præſtantiſſimus quiſque diſputator propoſitionum copia abundare debet.

*Unde ſumitur propoſitionum copia?*

℟. Ex communi ſermone, ex diſputationibus, ex libris doctorum virorum. Hinc enim fiunt apparatus, quibus pro re nata ad propoſitiones formandas uti poſſumus.

*Quomodo fit Apparatus?*

℟. Quinque regulas faciendi apparatus tradit Ariſtoteles in libr. I. Topic. capit. 14. Prima eſt, ut diverſa rerum capita ſeparatim notentur, v. gr. de *Bono*, de *Natura*, de *Arte*. Secunda, ut unumquodque definiendo explicetur, in partes tribuatur, & affectionibus ſuis ornetur. Tertia, ut adſcribantur ſingulis ſententiæ illuſtrium virorum. (2) Quarta, ut diſtinguantur tria ſumma genera, Logicum, Ethicum, Phyſicum. Quinta, ut incipiamus a communibus & late fuſis, ordine deſcendentes ad ſingularia & anguſta. (3)

*Quæ-*

(2) Ex. gr. ad caput de *Bono* notandum eſt, dixiſſe Pythagoram, *Bonum eſſe individuum*; dixiſſe Ariſtotelem, *Bonum eſſe, quod omnia appetunt*; dixiſſe Epicurum, *Bonum eſſe quod delectat*.

(3) Ex. gr. notanda ſunt *Oppoſita*. Sub his collocari debent *contraria*, *contradicentia*, *privantia*, *relata*. Porro ſub contrariis collocatur *Bonum*, & *malum*; ſub contradicentibus *Affirmatio*, & *Negatio*; ſub privantibus *Lux*, & *Tenebræ*; ub relatis *Emptio*, & *Venditio*, &c.

*Quænam ſunt inſtrumenta parandæ propoſitionis?*

℞. Tria recenſentur ab Ariſtotele, diſtinctio *ambiguitatis*, declaratio *differentiæ*, inventio *ſimilitudinis*.

*Explica mihi primum, ejuſque commoda.*

℞. Primum parandæ propoſitionis inſtrumentum eſt diſtinctio *ambiguitatis*. Hoc enim valet ad perſpicue cognoſcendum, quid ſit id, de quo diſſeritur, ut diſſeramus de rebus, non de vocabulis; tum facit, ut facile diſſolvamus adverſariorum argumenta ex ambiguo ducta; denique ut adverſarios ipſos ambiguitatibus implicemus. Quamquam tertium hoc magis Sophiſtæ convenit, quam Dialectico. Porro ambiguorum diſtinctio ſumi poteſt ex oppoſitis, ex conjugatis, ex generibus, ex categoriis, ex definitionibus, ex comparatis. Ex. gr. illud eſt ambiguum & multiplex, cujus oppoſitum multiplicis naturæ eſt; cujus conjugata ſunt ambigua; quod refertur ad varia genera proxima; quod pertinet ad diverſas categorias; cujus definitio multiplex eſt; cujus membra inter ſe comparari non poſſunt. (4)

Ex-

(4) Exemplum hujus poſtremi articuli eſſe poteſt *acutum*, quod ambigue dicitur de *ſapore*, *&* *voce*. Quamvis enim & *ſapor acutus* dicatur, & *vox acuta*; attamen *vox* & *ſapor* nullo modo inter ſe comparantur. Neque enim ſapor dici poteſt acutior voce, aut vox ſapore. Exempla reliquorum faciliora ſunt, & peti poſſunt ab ipſo Ariſtot. l. 1. c. 15.

*Explica ſecundum.*

℟. Secundum propoſitionis parandæ inſtrumentum eſt inveſtigatio *differentiæ*, qua fit, ut cognoſcamus naturas rerum, quæ per differentias conſtituuntur; & problemata ſolvamus de eodem ac diverſo (5). Porro ut differentiæ cognoſcantur, ſpectanda genera ſunt: & primum quidem cognoſci debent differentiæ eorum, quæ ſunt ſub eodem genere, ut fortitudo, & juſtitia; deinde eorum, quæ cum generibus diverſis contineantur, tamen aliquo modo ſimilia ſunt, ut ſenſus, & ſcientia. (6)

*Cedo mihi tertium.*

℟. Tertium inſtrumentum eſt explicatio *ſimilitudinis*, quæ plurimum confert primo quidem ad inductiones Dialecticas, per quas ex pluribus ſimilibus ſimile concludimus: deinde ad ſyllogiſmos hypotheticos; quia v. gr. cum firmatum eſt, eumdem eſſe contrariorum ſenſum; ex hypotheſi efficio, eamdem eſſe contrariorum ſcientiam, ob ſimilitudinem, quæ intercedit inter utrumque: denique ad inveniendas definitiones; nam quæ in aliquo genere ſimilia eſſe deprehenduntur, unam definitionem capiunt; quæ ad varia genera pertinent, pluribus definitionibus ſunt expli-

(5) Hoc eſt, ut probemus, alia eſſe eadem, alia eſſe diverſa; quod apparet ex differentiis, quæ generibus additæ conſtituunt ſpecies.

(6) Juvat etiam cognoſcere differentias quaslibet, ex quibus ſumi poſſunt propoſitiones minus firmæ.

plicanda. Monet autem Ariſtoteles, ut ſimilia quærantur non modo in eodem genere, ſed etiam in diverſis & valde diſtantibus; idque tum per particulam *ad*, ut cum dico, ita ſe habere ſcientiam ad ea, quæ ſciuntur, ut ſe habet ſenſus ad ea, quæ ſentiuntur; tum per particulam *in*, ut cum dico, ita eſſe mentem in anima, ut eſt viſus in oculo.

CA-

# CAPUT V.

## DE LOCIS PROBLEMATIS, ET PROPOSITIONIS.

### *QUINAM SUNT LOCI PROBLEMATIS?*

℟. AD locos ventum eſt; quod ordine tertium facimus, ſed natura princeps eſt Topicorum argumentum. Loci igitur Problematis ſumuntur ab ejus prædicato. Prædicatum autem ſpectari poteſt, vel ut prima notio, vel ut ſecunda. Ut prima notio, dividitur per decem Categorias, ut aliud ſit Problema ſubſtantiæ, aliud quantitatis, aliud qualitatis, &c. Sed hac ratione non pertinet ad Dialecticum. Ut notio ſecunda, dividitur in *genus*, *definitionem*, *proprium*, & *accidens*: atque hi quidem ſunt principes loci Dialectici, qui recenſentur ab Ariſtotele in l. 1. Topic. c. 4. Nam quidquid alicui rei tribuitur, vel eſt aliquid communius, & dicitur *genus*; vel eſt aliquid ex æquo reſpondens, & dicitur *definitio*; vel eſt affectio neceſſaria, & dicitur *proprium*; vel eſt affectio communis, & dicitur *accidens*. Hinc problemata Dialectica quatuor, *generis*, *definitionis*, *proprii*, *accidentis*. (1)

N *Quod-*

(1) Quoties igitur quæro *quid* ſit aliquid, *quale*, *quantum*, &c. problema phyſicum eſt. Alii ajunt, decem Categorias conſtituere ſubjectum problematis; a *genere* autem, *definitione*, *proprio*, & *accidente* ſumi prædicatum.

*Quodnam eſt Problema Definitionis?*

℞. Problema *Definitionis*, ut etiam aliorum locorum, vel expreſſum eſt, vel tacitum: expreſſum eſt ſi quæram ex. gr. *utrum habitus rationi conſentaneus ſit virtutis definitio, necne*: tacitum eſt, ſi ita quæram, *utrum virtus ſit habitus rationi conſentaneus, necne*. Ad problema definitionis revocat Ariſtoteles quæſtionem, *utrum ſit idem, an diverſum*. Nam hoc nihil eſt aliud, quam quærere, *utrum eadem definitione comprehendatur, an diverſa*.

*Quodnam eſt problema* Generis?

℞. Problema *Generis* eſt, cum quæro, utrum prædicatum conveniat ſubjecto tamquam commune aliquid ad eſſentiam & naturam pertinens. Illa quoque ad problema Generis referuntur, *quo in Genere ſit aliquid*, & utrum *duo quæpiam ſint in eodem, an diverſo genere*.

*Quænam ſunt problemata Proprii, & Accidentis?*

℞. *Proprii* problema eſt, cum quæritur, utrum prædicatum conveniat ſubjecto tamquam propria affectio; *Accidentis*, cum quæritur, utrum conveniat tamquam affectio communis. Ad Accidentis problema refert Ariſtoteles comparationem quamlibet, *utrum ex duobus ſit utilius, utrum ſit jucundius, utrum honeſtius*

*Cur*

*Cur non memorat Ariſtoteles problema ſpeciei?*

℞. Speciem non memorat, quia ſpecies eſt id, de quo quæritur, ideoque ſubjectum quæſtionis conſtituit: problemata autem ſumuntur & nominantur a prædicato. (2)

*Cur non memorat problema differentiæ?*

℞. Quia differentia, ſi generis eſt, refertur ad genus; ſin autem ſpeciei eſt, vel eſt pars ipſius eſſentiæ, qua ratione ad *definitionem* pertinet; vel eſt congeries quædam affectionum, quæ ſimul conjunctæ proprium aliquid efficiunt; ideoque problema *proprii* conſtituit.

*Quinam ſunt loci Propoſitionis?*

℞. Cum omnis Propoſitio referatur ad problema ſolvendum, idem eſt quærere locos propoſitionum, atque argumentorum ad ſolvendum problema. Porro autem iiſdem locis problema ſolvitur, quibus

N 2 con-

(2) Si quæras utrum ſpecies aliqua ſubjiciatur generi, vel cui generi ſubjiciatur, v. gr. utrum *homo ſit ſpecies animalis*; quæſtio generis eſt. Incidit enim in illam, utrum *animal ſit genus hominis*.

conſtituitur, *genere*, *definitione*, *proprio*, *accidente*. (3)

CA-

(3) Hactenus fideliter ex primo Ariſtotelis libro. In iis, quæ ſequentur, aliquanto liberius verſati ſumus, ut Ariſtotelicam doctrinam per reliquos libros fuſam, in pauca cogeremus.

# CAPUT VI.

## DE LOCO GENERIS.

*Quid Generis nomine intelligitur?*

℟. HIc Generis nomine intelligitur quidquid totius rationem habet; cui reſpondet quidquid habet rationem partis. Et quia totum vel eſt aliquid Logicum, ut diximus in Rudimentis Par. 1. cap. 6. quod partes habet ſibi ſubjectas; vel Phyſicum, quod partes habet, ex quibus re ipſa componitur; ex utroque argumenta ſumuntur, tamquam a loco Generis. Attamen proprie Genus dicitur totum Logicum, cui reſpondent ſpecies & individua tamquam partes. Et in hoc quidem ſpecies non differt ab individuo, ſed utrumque ſignificat aliquid Generi ſubjectum, veluti partem ejus. Quod ſi a ſpecie tamquam a ſuperiori argumentum ducatur, tum ſpecies induit rationem Generis, & argumentum *a Genere* dicitur. (1)

*Quomodo ſumuntur argumenta ex toto Logico?*

℟. Valet hic locus, qui proprie dicitur *a genere*, ad refellendum; regiturque hoc axiomate: *Sublato genere, tollitur quidquid generi ſubjicitur*. Verbigr. *Si non*



(1) Hinc apparet, cur Ariſtoteles non poſuerit locum *Speciei*: qua de re tam multa divinant ejus Interpretes.

*eſt virtus, neque prudentia eſt, neque juſtitia, neque temperantia, neque fortitudo.* In confirmando non valet, niſi quatenus poſito genere, ponitur aliquid ex iis, quæ genere continentur: ut ſi dicam, *Virtus eſt; ergo vel prudentia, vel juſtitia, vel temperantia, vel fortitudo.* Nulla tamen ex his per ſe ſola concludi poteſt. Quod ſi non a genere ipſo, ſed ab iis, quæ genus neceſſario conſequuntur, argumenta ducere velimus; omnino valet diſputatio, tum ajendo, tum negando. Ex. gr. *Virtus eſt laudanda; ergo tum prudentia, tum juſtitia, tum temperantia, tum fortitudo laudari debent: Virtus reprehendi non poteſt; ergo nec prudentia, nec juſtitia, nec temperantia, nec fortitudo. Laudari* enim, & *non reprehendi* ſunt conſequentia quædam virtutis.

*Ex partibus Logicis quomodo diſputatur?*

R. Si ex formis ad genus progrediamur, argumentatio in confirmando valet, in refellendo non item. Nam *poſita parte aliqua generis, ponitur genus; ſublata, non tollitur.* Ita ſi dicam, *juſtitia eſt, ergo virtus eſt*, recte diſputo: non tamen recte, ſi dicam, *non eſt juſtitia, ergo virtus non eſt*; ſiquidem poteſt eſſe temperantia, aut alia quædam virtutis forma. (2)

*Quid ſi ab una generis parte ad aliam progredi velimus?*

℟. *Poſito genere, & excluſis partibus reliquis, una recte*

(2) Præclarum ducit ex hoc loco argumentum Cicero, ut probet, poſito *bello*, non poni *tumultum*; ſed tamen poſito *tumultu*, poni *bellum*: quia hoc illius genus eſt. Ita enim ait Philipp. 8. cap. 1. *Belli nomen ponendum in ſententia quidam non putabant: tumultum appellare malebant, ignari non modo rerum, ſed etiam verborum. Poteſt enim eſſe bellum ſine tumultu, tumultus eſſe ſine bello non poteſt.*

*Ꝏe concluditur*: ut, ſi virtus eſt, nec tamen aut prudentia, aut juſtitia, aut temperantia dici poteſt, recte concluditur, eſſe fortitudinem. (3)

*Quid ſi partes generis tollantur omnes?*

℞. Argumentatio valet ad refellendum. Nam *ſublatis partibus omnibus, genus corruit*. Ita ſi Roſcius Amerinus, ut Cicero contendit, neque per ſe, neque per alios patrem occidere potuit, ſequitur omnino non occidiſſe. (4)

*Quomodo ſumuntur argumenta ex toto Phyſico?*

℞. *Poſito toto Phyſico, ponuntur partes omnes*: ut ſi eſt homo, conſtat mente, & corpore. At *ſublato toto, non ſtatim tolluntur partes*. Nam pereunte homine, pars ejus potiſſima non perit. Id vero locum habet non modo in totis naturalibus, ſed etiam in artefactis. Itaque poſita domo, ponitur fundamentum, paries, & tectum: at ea everſa, non neceſſe eſt, everti partes omnes. (5) N 4 *Quo-*

(3) Ad hunc locum pertinet illud Virgilii 4. Æneid. verſ. 534. ubi Dido, excluſis omnibus doloris ſui remediis præter mortem, demum concludit:

*Quin morere, ut merita es, ferroque averte dolorem.*

(4) Videndum tamen, ne pars aliqua omittatur, quod facile contingit. Nam ſiquis verbigr. contendat, mortem non eſſe malum, ut eſt apud Ciceronem Tuſcul. 1. quod neque morituris malum ſit, quia nondum eſt; neque mortuis, quia amplius non eſt; incidit in fallaciam partis omiſſæ: ſiquidem mors malum eſt morientibus.

(5) Id accidit, quia partes Phyſicæ in rei cujuslibet conſtitutione vel *primariæ* ſunt, ſine quibus nec eſſe res, nec nominari poteſt; vel ſunt *ſecundariæ*, quæ ad eam abſolvendam & perficiendam valent. Rurſus aliæ ſunt cognatæ, h. e. ejuſdem generis & nominis, quæ Græca voce *homogeneæ* dici ſolent; aliæ generis & nominis diverſi, quæ *heterogeneæ* vocantur. Utramque hanc differentiam qui non recte tenebit, in varias fallacias incidet.

Digitized by Google

*Quomodo ſumuntur argumenta ex partibus Phyſicis?*

℞. Locus hic argumenta ſuppeditat tum ad confirmandum, tum ad refellendum. Et in confirmando quidem duo ſunt modi. Primùs eſt, cum *partibus omnibus numeratis, totum concluditur*: ut ſi plebs, ſi equites, ſi ſenatores gaudent de reditu Ciceronis in patriam, tota civitas gaudet. Secundus modus eſt, cum pars una, reliquis confutatis, concluditur: ut, *ſi homo eſt immortalis, vel eſt corpore, vel animo, vel utroque; non eſt autèm neque corpore & animo ſimul, neque ſolo corpore; igitur animo eſt immortalis*. In refellendo pariter modi videntur eſſe duo. Primus eſt, cum *ſublatis partibus omnibus, tota res tollitur*: ut ſi dicam, neque fundamentum eſſe, neque parietes, neque tectum; ſequitur, non eſſe domum. Secundus eſt, cum *labefacta parte una, totum ipſum labefactatur*; ut ſi deeſt tectum, non eſt domus. Id non valet in partibus ſecundariis & minus neceſſariis. Neque enim, ruente ſcala, ruit domus; aut cadentibus foliis, perit arbor.

CA-

# CAPUT VII.

## DE LOCO DEFINITIONIS.

### *QUID INTELLIGITUR NOMINE DEFINITIONIS?*

℞. HOc nomine intelligitur quælibet oratio, quæ rei naturam explicat, vel per proprias attributiones, vel per congeriem quamdam affectionum, quarum ſingulæ aliis quoque rebus communes ſunt. (1)

### *Quomodo ex Definitione argumenta ſumuntur?*

℞. Cum in qualibet quæſtione ſit ſubjectum, & prædicatum, poſſumus argumentari per definitionem alteru-

(1) Quia ipſa quoque oratio definiri poteſt, ut cum quis definiendo declarat, quid ſit *minuere majeſtatem*; docet Ariſtoteles in cap. 5. lib. 1. eum, qui definit, modo adhibere orationem pro nomine, modo orationem pro oratione. Cicero autem in Topic. c. 5. definitionem pertinere dicit tum ad ea, quæ *ſunt*, tum ad ea, quæ *intelliguntur*. Ea porro ſunt, quæ corpus habent, & tangi poſſunt, ut *hic liber*: ea intelliguntur, quæ cum careant corpore, animo cerni debent, ut *uſucapio*. Ex utroque genere ſumi poteſt argumentandi copia.

rutrius, vel utriuſque, idque tum confirmando, tum refellendo. Nam hæc ſunt axiomata ad hunc locum pertinentia: *Quidquid dicitur de definitione, & quidquid de illa negatur, idem dicitur & negatur de re definita. Quidquid dicitur & negatur de re definita, idem dicitur de definitione, idemque de illa negatur.* Exempli gr. ſi quæratur, num Dialectica ſit ars, id probari poteſt tum per definitionem Dialecticæ, quæ dicitur *facultas veri diſceptatrix & judex;* tum per definitionem Artis, quæ dicitur *recta ratio faciendi aliquid;* idemque per eaſdem definitiones poterit oppugnari. Quod ſi de ipſis definitionibus moveatur quæſtio, ad res definitas confugiendum erit, & per eas diſputandum. (2)

*Ex definitione nominis poſſuntne argumenta duci?*

℞. Si definitio nominis reciproca ſit, parit argumenta tum ajentia, tum negantia. Sit exempli loco illud Plinii l. 18. cap. 3. *Locupletes dicebant loci, ideſt agri, plenos.* Hinc enim ita argumentari potes: *Locuples eſt; ergo loci plenus.* Et contra, *Locuples non eſt; ergo non loci plenus.* Si definitio reciproca non ſit, argumenta negantia ſuppeditat; ajentia non item. Nam ſi dicas:

*Piſo*

(2) Huc revocanda ſunt argumenta illa, quæ ex potiſſima definitionis parte, ideſt ex differentia & propria nota ducuntur: ut ſiquis dicat, hominem non debere pecudum voluptates ſequi, quod *animal* quidem ſit, ſed *rationale*. Ita Cicero Paradox. 1. c. 4. *Tu, cum tibi ſive Deus, ſive mater (ut ita dicam) rerum omnium natura dederit animum, quo nihil eſt præſtantius neque divinius, ſic te ipſe abjicies atque proſternes, ut nihil inter te, atque inter quadrupedem aliquem putes intereſſe?*

*Piſo non conſulit patriæ, ergo non eſt conſul*, rectæ diſputas; non tamen recte, ſi dicas: *Piſo conſulit patriæ, ergo eſt conſul*. (3)

CA-

(3) Attamen oratores utuntur interdum iſtiuſmodi argumentis ad confirmandum, cujuſmodi eſt illud apud Ciceronem l. 2. de Orat. c. 39. *Si conſul eſt, qui conſulit patriæ, quid aliud facit* Opimius?

Digitized by Google

# CAPUT VIII.

## DE LOCO PROPRII.

### *QUID INTELLIGITUR NOMINE PROPRII?*

℟. INtelligitur attributio, quæ rem quamlibet neceſſario conſequitur, & cum ea reciprocatur; cujuſmodi eſt *ridendi* & *admirandi facultas* in homine, quæ hominis propria eſt, ejuſque naturam neceſſario conſequitur; *latrandi facultas* in cane, quæ canis eſt propria, & ab eo numquam abeſt. Hinc argumenta ducuntur eo fere modo, quo ducuntur ex Definitione. Itaque locus eſt: *De quo dicitur, aut negatur Proprium, id quoque de illo dicitur, aut negatur, cujus eſt Proprium*. Idemque valet ex contrario. Ex. gr. ſi facultatem habet ridendi & admirandi, eſt homo; ſi eſt homo, ridendi & admirandi facultatem habet. Si hac facultate caret, non eſt homo; ſi non eſt homo, caret hac facultate. (1)

CA-

(1) Tria ſunt præterea genera proprii minus neceſſaria, quæ ſunt a nobis explicata in Par. 1. c. 5. Ex his quoque ſumi poſſunt propoſitiones; ſed declarandum eſt, quo in genere proprii verſentur.

Digitized by Google

# CAPUT IX.

## DE LOCO ACCIDENTIS.

### *QUINAM EST ACCIDENTIS LOCUS?*

℞. LOcus *Accidentis* latiſſime patet. Nam ex eo ſumuntur argumenta omnia, quæ neque *generis* ſunt, neque *definitionis*, neque *proprii*, ſed tamen rem quoquo modo probabilem faciunt. Imo ea ipſa, quæ accidunt *generi*, *proprio*, ac *definitioni*, argumenta pariunt ex loco *accidentis*. Propoſitiones loci hujus ſunt innumeræ, quarum longe plurimas recenſet Ariſtoteles in lib. 2. & 3. (1)

### *Quodnam judicium ferendum eſt de Topicis Rhetoricis?*

℞. Topica Rhetorica latent in Topicis Dialecticis, & multa ſunt utrique arti communia. Loci Rhetorum proprii, quos recenſet Ariſtoteles in lib. Rhetor. 2. ſunt εἰκὸς, παράδειγμα, τεκμήριον, σημεῖον, *veriſimile*, *exemplum*, *ſi-*

(1) Quidam ad locum Accidentis referunt *Oppoſita*, *paria*, *ſimilia*, *conjugata*, *effecta*, *ſigna* &c. Sed hæ notæ quædam ſunt, quæ per omnes locos vagantur ad diſtinguendas propoſitiones a propoſitionibus, & argumenta ab argumentis. Rhetores præſertim locos appellant, deque iis multa præcipiunt.

*ſignum neceſſarium*, *ſignum commune*. Sunt autem loci iſti communes omnibus generibus; ſed ſingula genera proprios habent locos; Judiciale *juſtum & injuſtum*; *Deliberativum* *utile & inutile*; Exornativum *honeſtum & inhoneſtum*. (2)

PARS

(2) V. Ciceronem lib. 1. de Orat. c. 31. Porro hi ſunt loci argumentorum inſitorum. Nam quæ ἄτεχνα Greci vocant, hoc eſt *ab arte remota & aſſumta*, non debent inveniri ab Oratore. Antonius apud Cic. lib. 2. de Orat. c. 27. *Ad probandum duplex eſt Oratori ſubjecta materies; una rerum earum, quæ non excogitantur ab Oratore, ſed tractantur, ut tabulæ, teſtimonia &c. altera eſt, quæ tota in diſputatione, & argumentatione Oratoris collocata eſt. Ita in ſuperiore genere de tractandis argumentis, in hoc autem etiam de inveniendis cogitandum eſt.*

# PARS V.

## DE SOPHISTICIS.

## CAPUT I.

### DE NOMINE, ET NATURA ELENCHI SOPHISTICI.

*QUID EST ELENCHUS?*

℟. Eſt Syllogiſmus, qui arguit enunciatum aliquod, eique contrarium concludit. (1)

*Quid eſt Elenchus Sophiſticus?*

℟. Eſt Syllogiſmus fallax, oppoſitus Dialectico, Græce παρεξέλεγχος: ſitque vel ex iis, quæ probabilia videntur, ſed non ſunt; vel ex iis, quæ probabilia ſunt, ſed præter leges ſyllogiſticas componuntur. Primo modo dicitur peccare materia; altero forma. Quamquam is, cujus forma deficit, & ad concludendum

(1) Ducitur a Græco ἐλέγχω, *arguo*. Itaque non dicitur uti Elenchis, niſi qui diſputat adverſus aliquem, & ratiocinando diſputat, ut colligitur ex Ariſtotele lib. 2. Prior. cap. 20.

Digitized by Google

dum inepta eſt, proprie neque Syllogiſmus, neque Elenchus dici debet, ſed Paralogiſmus.

*Cur dicitur Sophiſticus?*

℞. Quia Sophiſtæ videri malebant ſapientes, quam eſſe, ut ſcribit Ariſtoteles cap. 1. hujus libri: ideoque per ea diſputabant, quibus fallerent. (2)

*Differtne Elenchus Sophiſticus a Contentioſo?*

℞. Differt fine & inſtituto, non re. Nam *Contentioſo* illi dicebantur uti, qui oſtentationis cauſſa diſputabant, & victoriæ gloriolam quærebant; *Sophiſtico* autem, qui ex diſputatione quæſtum aucupabantur. (3)

*In quo differt ab Apatetico?*

R. Syllogiſmus *Apateticus*, ſeu *Pſeudographus* (nam utroque modo vocatur ab Ariſtotele) fit ex falſis, ſed propriis ejus diſciplinæ, in qua diſputatur. Itaque oppo-

(2) Dicitur etiam *Sophiſma*: quamquam *Sophiſma* eſt quælibet cavillatio, quocumque modo fiat. Nomina Græca ſunt, quia res ipſa apud Romanos non valde in uſu erat, ideoque nominibus Latinis carebat, ut ſcribit Seneca epiſt. 111.

(3) Hæc ſumſi ex Elenchis Ariſtotelis cap. 11. Attamen etiam oſtentatio Sophiſtam facit, Si Ciceroni credimus, qui ita ſcribit in Academ. 4. cap. 23. *Sophiſtæ appellantur ii, qui oſtentationis, aut quæſtus cauſſa philoſophantur.*

Digitized by Google

ponitur demonſtrationi. *Sophiſticus* fit ex communibus, & opponitur epichiremati.

*Cur de Elenchis Sophiſticis agit Dialecticus?*

℞. Ut viam & rationem ſibi compararet, qua poſſit Sophitis reſiſtere. Nam, ut ſcribit Quinctilianus lib. 12. Inſtit. c. 1. *Remedia melius adhibebit, cui nota, quæ nocent, fuerint.* (4)

O CA-

(4) Clemens Alexan. lib. 6. Strom. cap. 10. θριγκός ἐστι διαλεκτική, ὡς μὴ καταπατεῖσθαι πρὸς τῶν σοφιστῶν τὴν ἀλήθειαν. *Dialectica vallum eſt, ne veritas a Sophiſtis conculcetur*. Nam, ut ſcribit Cicero in Acad. 4. c. 15. *Fallacibus & captioſis interrogationibus circumſcripti atque decepti quidam, cum eas diſſolvere non poſſunt, deſciſcunt a veritate*. Primus autem omnium fuit Protagoras Abderites, qui conſulto adhibuit Sophiſticos elenchos, & per eos ad fallendum diſputavit; ut ſcribit Suidas, & Diogenes Laertius in ejus vita.

# CAPUT II.

## DE FALLACIIS VOCUM.

*UNDE SUMUNTUR ELENCHI SOPHISTICI?*

℞. DUo ſunt eorum ſumma genera; alterum verſatur in voce, alterum in re. In voce ſex poſſunt eſſe fallaciæ, in re ſeptem.

*Cedo mihi fallacias vocis.*

℞. Tres pertinent ad vocem unam ac ſimplicem, *accentus*, *figura dictionis*, & *homonymia*: tres autem ad voces plures ſimul compoſitas, *amphibolia*, *compoſitio*, & *diviſio*.

*Quænam eſt fallacia accentus?*

℞. Accentus fallacia valet præſertim apud Græcos, quorum vocabula, variato accentu, aut ſpiritu, mirum in modum variantur. Apud Latinos fallacia hæc ex ſyllabarum quantitate ducitur. Hoc modo ludebat Nero (ut eſt apud Sueton. in ejus vita cap. 33.) cum ajebat, Claudium deſiiſſe inter homines

mo-

*morari*. Nam *moror* prima ſyllaba correpta, ſignificat manere; producta, ſignificat inſanire. (1)

*Quænam eſt fallacia figuræ dictionis?*

℟. Cum quis ſimili poſitione deceptus, eaſdem vocabulis diverſis affectiones tribuit. Hinc Ariſtoteles ait, Sophiſtas interdum ſpectare ſolœciſmos. (2)

*Quid eſt homonymia?*

℟. Eſt ambiguitas orta vel ex neceſſitate, vel ex inſcitia, vel ex fraude ejus, qui uno verbo plura ſignificat. (3)

O 2 *Quo-*

(1) Ad hanc fallaciam pertinet pronunciandi vitium, cum conjuncta ſeparantur, aut ſeparata conjunguntur; quo fit, ut varietur accentus. Hujus generis eſt illud Capitolini in M. Antonino Philoſopho cap. 29. *Crimini ei datum eſt, quod adulteros uxoris promoverit, inter quos Tertullum*. Huic alludens Mimus in theatro, ipſo ſpectante Antonino, ſciſcitatus a ſervo eſt, quiſnam eſſet uxoris ſuæ adulter. Cum is reſpondiſſet, *Tullus*, *Tullus*, *Tullus*; & adhuc Mimus quærendo pergeret, tum ſervus quaſi ſubiratus, *nonne dixi* (inquit) *ter Tullus*? Duo poſtrema verba eodem accentu & pronunciandi modo conjuncta efficiunt nomen adulteri.

(2) Per hanc fallaciam ludebat Diogenes Cynicus, cum Euclydis Dialectici σχολὴν, vocabat χολὴν, ideſt non *ſcholam*, ſed *bilem*; quod ſuos auditores nimis contentioſos faceret. Ad fallaciam ſolœciſmi referri poteſt jocus Plauti Amphit. 1. 1. 188. ubi *verbero* accipitur a Mercurio pro nomine, a Soſia pro verbo. Minuta ſunt hæc: attamen Dialectico cognoſcenda, *non quia poſſint facere ſapientem* (inquit Quinctilianus l. 1. c. 10.) *ſed quia illum ne in minimis quidem oporteat falli*.

(3) Dixi ex neceſſitate, quia, ut ſcribit Sen. lib. 2. de Benef. c. 34. *Ingens copia eſt rerum ſine nomine, quas non propriis appellationibus notamus, ſed alienis commodatiſque*.

*Quotuplex eſt homonymia?*

℟. Duplex. Nam vox interdum res plures ſignificat nulla ſibi proportione reſpondentes; ex. gr. ſi ſidus *latrare* dicas, quod ſidus quoddam *canis* vocetur. (4) Interdum vox pluribus rebus tribuitur analogia & proportione quadam; cujuſmodi ſunt metaphoræ omnes, ut cum *caput* de ſummo diverſarum rerum faſtigio dicitur: & ex hac ſimilitudine fallaces ducuntur elenchi. (5)

*Quid eſt amphibolia?*

℟. Eſt fallacia, quæ oritur ex conjunctione ambigua multarum vocum, quarum ſingulæ ipſæ per ſe ambiguitate carent. Hujuſmodi eſt Apollinis oraculum, Pyrrho redditum, quod refertur a Cicerone lib. 2. de Divinat. cap. 56. & a Quinctiliano lib. 7. cap. 10.

*Ajo te, Æacida, Romanos vincere poſſe.*

Caſus ſimiles faciunt, ut non magis in Pyrrhum valeat, quam in Romanos. (6)

*Quid*

(4) Hujus homonymiæ habemus exemplum apud Ciceronem de Fato cap. 3. in Daphita, qui præcipitatus eſt ex rupe, quæ vocabatur *Equus*, quemadmodum illi ab Apolline Delphico per ambiguam hanc vocem prænunciatum fuerat. *Quid enim*, inquit, *ſi Daphitæ fatum fuit, ex equo cadere, atque ita perire? Ex hocne equo, qui cum equus non eſſet, nomen habebat alienum?*

(5) Exempla paſſim occurrunt apud Oratores & Poetas. Sed ſunt apud Philoſophos quoque. Nam per ambiguam infiniti ſignificationem peccaſſe Meliſſum in argumentando, oſtendit Ariſtoteles Phyſ. lib. 1. cap. 3.

(6) Alia exempla habes ibidem apud Ciceronem & Quinctilianum; itemque in lib. 1. ad Herennium cap. 12. Porro iſtiuſmodi Oracula ancipiti errore involuta urbane irridet Lucianus in *Jove confutato* p. 124.

*Quid eſt compoſitio?*

℞. Eſt fallacia, quæ oritur ex conjunctione earum vocum & notionum, quæ recte intelligi nequeunt, niſi disjungantur: ut ſiquis dicat, *ſedentem non poſſe ſtare*. Nam ſedens ſedendo non poteſt ſtare; at ſi ſedere deſinat, ſtare poterit. (7)

*Quid eſt diviſio?*

℞. Eſt fallacia, quæ ea dividit, quæ dividenda non ſunt: ut ſiquis dicat, *quinque eſſe numerum parem, & imparem*, quod *quinque* ſint *duo*, & *tria*; *duo* autem ſint paria, *tria* imparia. (8)



(7) Hac fallacia peccaret, ſiquis contenderet, neque cæcos videre, neque claudos ambulare, neque ſurdos audire; ac proinde reprehenderet, quod eſt apud Lucam cap. 7. *Cæci vident, claudi ambulant, ſurdi audiunt*. Scilicet cæci vident, cum deſinunt eſſe cæci, &c.

(8) Fallacia hæc a Scholaſticis dicitur *ſenſus diviſi*, ſuperior *ſenſus compoſiti*. Huc revocari poteſt illa Zenonis (ut eſt apud Ariſtotelem Phyſic. lib. 7. cap. 5.) qua contendebat, ſingula milii grana in terram dejecta ſtrepitum edere, quod edat milii modius uno impetu effuſus.

Digitized by Google

# CAPUT III.

## DE FALLACIIS RERUM.

*QUÆNAM SUNT FALLACIÆ RERUM?*

℟. Sunt illæ, quæ oriuntur ex rebus non recte perceptis. Dicuntur autem *accidentis*, *dicti non ſimpliciter*, *conſequentis*, *non cauſſæ pro cauſſa*, *petitionis principii*, *ignorationis elenchi*, *plurium interrogationum*.

*Quænam eſt fallacia accidentis?*

℟. Eſt locus ad decipiendum idoneus, cum rei per ſe tribuitur, quod convenit illi fortuito, & ex accidente. Itaque in hoc vitium labitur quicumque rerum eventa pro rebus accipit neceſſariis: ut cum Vellejus Epicureus apud Ciceronem lib. 1. de nat. Deor. cap 32. contendit, Deos humana forma præditos eſſe, quod ratione utantur; quaſi vero humana forma ſit aliquid cum ratione neceſſario conjunctum. (1)

*Quæ-*

(1) Fallacia hæc orta eſt ex regula prima Anteprædicamentorum. *Cum quippiam de quopiam dicitur, quæcumque de prædicato enunciantur, ea de ſubjecto quoque poſſunt enunciari*. Nam hinc Sophiſta ita diſputat: *Animal eſt genus; homo eſt animal; homo igitur eſt genus*. Reſpondendum, *genus* fortuito & ex accidente dici de *animali*; proinde non poſſe de homine dici niſi per fallaciam. Ita in fallaciam accidentis incidit, qui hoc modo diſputat: *Homo doctus generat; ergo homo indoctus non generat*.

*Quænam eſt fallacia dicti non ſimpliciter?*

℟. Eſt, cum id, quod aliqua ex parte valet, perinde accipitur ac ſi ſimpliciter & omnino valeret; ut ſi dicam, ut eſt apud Gellium lib. 18. c. 13. *Quod nix eſt, hoc grando non eſt; nix autem alba eſt; grando igitur alba non eſt*. Sumitur in prima enunciatione tamquam ſimpliciter verum, quod eſt verum dumtaxat ex parte aliqua. (2)

*Quænam eſt fallacia conſequentis?*

℟. Eſt, cum ea conſequi dicuntur, quæ conſequentia non ſunt; ut ſiquis ita argumentetur, *Virtus eſt, ergo juſtitia eſt:* quaſi vero ſpecies conſequatur genus, & poſita *virtute*, ſequatur *juſtitia*. Aut ſi non conſequi ea dicantur, quæ re vera conſequuntur; ut ſiquis ita diſputet, *Juſtitia non eſt, ergo virtus non eſt:* quaſi vero ſublata ſpecie, tollatur genus.

*Quænam eſt fallacia non cauſſæ pro cauſſa?*

℟. Eſt cum accipitur tamquam rei cauſſa, quæ cauſſa non eſt; ut cum quis humani generis infortunia in Cometas refert. Ad hanc fallaciam revocari



(2) Per hanc fallaciam ajebant Cynici, quod licet, ubique licere; ut eſt apud Sex. Empiricum lib. 1. Pyrrh. hypoth. cap. 14. & lib. 3. cap. 24. Hinc Lactantius de Falſ. Sap. cap. 15. *Quid ego de Cynicis loquar, quibus in propatulo coire cum conjugibus mos fuit? Quid mirum, ſi a canibus, quorum vitam imitantur, vocabulum nomenque traxerunt?* Id tamen in dubium revocat D. Auguſtinus de Civitat. Dei libr. 14. cap. 20.

poteſt Terentianum illud, *Veritas odium parit*. Neque enim veritas conſentanea odii cauſſa eſt; ſed improbitatem movet, unde proxime odium manat, tamquam ex vera cauſſa. (3) Itaque hoc in genere peccatur, quoties pro cauſſa propria & proxima adhibetur communis aliqua & remota; ut ſiquis adulteria ex otio oriri dicat. Ita Ovidius de Remed. amor. verſ. 161.

> *Quæritur, Ægyſthus quare ſit factus adulter?*
> *In promtu cauſſa eſt; deſidioſus erat.*

### *Quænam eſt petitio principii?*

℟. *Petere principium* eſt, ut ſcribit Auctor ad Herennium lib. 2. cap. 26. pro argumento ſumere, quod in diſquiſitione poſitum eſt; ideſt idem probare per idem. Exemplum ſumi poteſt ex Sex. Empirico lib. 3. Pyrrhon. hypoth. c. 3. ubi Dogmaticos accuſat fallaciæ hujus; quamvis accuſatio non ſit idonea: *Qui dicit eſſe cauſſam, vel cauſſam affert ſui dicti, vel non affert: ſi affert, principium petit, quia probat cauſſam per cauſ-*

(3) Per hujuſmodi fallaciam præſertim diſputant, qui fortunam afferunt cauſſæ loco: qua de re Plinius Hiſtor. l. 2. c. 7. *Toto mundo & locis omnibus, omnibuſque horis, omniumque vocibus fortuna ſola invocatur: una nominatur, una accuſatur, una agitur rea: ſola laudatur, ſola arguitur, & cum conviciis colitur. Huic omnia expenſa, huic omnia feruntur accepta; & in tota ratione mortalium ſola utramque paginam facit.* Ejuſdem generis ſunt fallaciæ oſtentorum, quæ apud veteres Romanos maxime valebant. De his Cicero lib. 2. de Divinat. c. 26. *Magna ſtultitia eſt, earum rerum Deos facere effectores, cauſſas rerum non quærere.*

*cauſſam, ideſt id, quod quæritur, per illud ipſum, quod quæritur: ſi non affert, fidem non meretur.* (4)

*Quænam eſt ignoratio elenchi?*

℟. Tum Sophiſta dicitur peccare ignoratione elenchi, cum ejus argumentum non oppugnat id, quod eſt in controverſia, ſed aliud quippiam: ut ſiquis dicat, mortem non eſſe malam, quia neque morituros afficit, cum nondum ſit; neque mortuos, cum amplius non ſit. (5)

*Quænam eſt fallacia plurium interrogationum?*

℟. Eſt cum plura ſimul interrogantur, quibus reſponſione una ſatisfieri nequit. Ex. gr. *Socrates eſtne Philoſophus, & princeps Philoſophorum?* Siquis ita interroganti reſpondeat, *eſt*, vel *non eſt*, incidit in captio-

(4) Huc pertinet illud argumentandi genus, quod *Piſtilli* verſatio dicitur; de quo Plutarchus adverſus Stoic. pag. m. 1072. Τὴν ὑπέρου περιτροπὴν, ἵνα μὴ σκώπτειν δοκῇς, ἔασον. *Piſtilli circumactum, ne cavillari videaris, omitte*. Inde nomen ſumſit, quod cum piſtillum circumagitur, eodem redit, unde diſceſſit, nihilque efficit. V. Part. 3. cap. 14.

(5) Exemplum ſumtum eſt ex Empirico lib. 3. Pyrrhon. hypoth. c. 24. Attingitur etiam a Lactantio, cujus hæc ſunt verba adverſus Epicurum lib. 3. cap. 17. *At idem nos metu liberat mortis his verbis: quando nos ſumus, mors non eſt; quando mors eſt, nos non ſumus; mors ergo nihil ad nos. Quam argute nos fefellit! Quaſi vero tranſacta mors timeatur, qua jam ſenſus ereptus eſt; ac non ipſum mori, quo ſenſus eripitur*. Vide in rem hanc etiam Gellium l. 2. cap. 8. & Ciceronem Tuſcul. 1.

ptionem. Ad hanc fallaciam revocari poteſt omnis interrogatio, quæ fit per ambigua. Nam vox ambigua ſignificat plura. (6)

CA-

(6) Ut totum hoc fallendi genus intelligatur, legere oportet caput. 2. lib. 16. Gellii, in quo vetus interrogandi & reſpondendi mos deſcribitur. *Legem* (inquit) *eſſe ajunt diſciplinæ Dialecticæ, ſi de quapiam e quæratur diſputeturque; atque ibi quid rogere, aut reſpondeas; tum, ne amplius quid dicas, quam id ſolum, quod es rogatus, aut ajas, aut neges: eamque legem qui non ſervent, & aut plus, aut aliter, quam ſunt rogati, reſpondeant; exiſtimantur rudes indoctique eſſe, diſputandique morem atque rationem non tenere. &c.*

Digitized by Google

# CAPUT IV.

## DE FINE ELENCHI SOPHISTICI.

### *QUO SPECTANT FALLACIÆ ISTÆ?*

R. SOphiſtarum finis vel remotus eſt, vel proximus. Remotus eſt duplex, de quo initio diximus, *quæſtus*, & *victoria*. Proximus eſt in rebus, vel in ſermone. In rebus ſunt *pugnantia*, *falſa*, *paradoxa*; in ſermone *ſolœciſmus*, & *battologia*. Sophiſta igitur eo ſpectat, ut compellat eos, quibuſcum diſputat, ad concedenda modo *pugnantia*, modo *falſa*, modo *paradoxa*. Interdum etiam eos compellit ad *ſolœciſmum* & *battologiam*, ut opinionem ſcientiæ & elegantiæ ſibi comparet. (1)

### *Quid eſt Paradoxum?*

R. Paradoxum (παρὰ τῆς δόξης) eſt id, quod repugnat communi opinioni, quemadmodum falſum repu-

(1) Exemplum battologiæ poteſt eſſe illud Gracchi apud Gellium lib. 11. c. 13. *Quæ vos cupide per hoſce annos appetiſtis atque voluiſtis, ea ſi temere repudiaritis, abeſſe non poteſt, quin aut olim cupide appetiſſe, aut nunc temere repudiaſſe dicamini.* Vides, id quod antecedit, & quod conſequitur, eſſe idem.

pugnat veritati. Itaque Paradoxum poteſt eſſe verum, quamvis non appareat. Immo Socratica omnia dicuntur longe veriſſima a Cicerone in ipſo Paradoxorum initio. (2) Sophiſtæ tamen non laborant, utrum paradoxa vera ſint, an falſa, modo admirationem moveant. (3)

CA-

(2) Arrianus de Sermon. Epitecti lib. 2. cap. 1. & 25. Paradoxa dicit eſſe illa, quæ ſolis Sapientibus videntur vera. A Cicerone vocantur *Mirabilia* in 4. Academ. cap. 44. & *Admirabilia* in Paradox. cap. 1.

(3) Itaque Clemens Alexandr. l. 1. Strom. p. m. 289. finem Sophiſtæ vocat τὴν ἔκπληξιν, *ſtuporem*.

# CAPUT V.

## DE SOLUTIONE VERA, ET FUCATA ELENCHI SOPHISTICI.

### *QUOMODO SOLVENDUS EST ELENCHUS SOPHISTICUS?*

R. CUm Elenchus Sophiſticus peccet vel forma, quia non recte concludit, vel materia, quæ fucata eſt; utramque conſiderare oportet. Si peccet forma, neganda concluſio eſt: ſi materia, diſtinguere oportet pronunciatum; & oſtendere, quatenus verum ſit, & quatenus falſum.

### *Poteſtne umquam adhiberi ſolutio fucata?*

R. Solutio fucata non ſolum adhiberi poteſt, ſed interdum etiam veræ ac ſolidæ præferenda eſt, ſi cum iis diſputemus, quos redarguere præſtat, quam docere. Quemadmodum enim contentioſa quædam ingenia ſunt, quæ nihil aliud quærunt, quam redarguendi gloriolam; ita qui contra diſputat, non tam curare debet, ne redarguatur, quam ne redargui videatur. *Dolus, an virtus, quis in hoſte requirat?* (1)

*Quæ-*

(1) Hic diſputandi modus ſimilis eſt bellis: & quemadmodum in illis licet hoſtem fallere per ea, quæ ſtratagemata dicuntur, ut oſtendit Polyænus in Proœm. lib. 1. ita in hoc per fallaciarum genera Artis propria licet adverſarium eludere.

*Quænam eſt ſolutio fucata?*

R. Eſt illa, quæ difficultatem non ſolvit, ſed eludit; quod facere poſſumus vel eam irridentes; vel reciprocantes, & in adverſarium ipſum convertentes; vel ad alia digredientes; vel abſurdum aliquid inde colligentes; vel denique alio quovis modo ictum, ut ita dicam, declinantes.

---

# CAPUT VI.

## DE INEXPLICABILIBUS.

### *ESTNE ALIQUA FALLACIA, QUÆ SOLVI NON POSSIT?*

R. DUo ſunt maxime fallaciæ genera, quæ Græci ἄπορα, Latini *inexplicabilia dicunt*; *Sorites*, & *Pſeudomenos*. (1)

*Quid eſt Sorites?*

R. Quid ſit Sorites, habes in Rudimentis. Fieri ſolebat a Sophiſtis per tale quamdam interrogationem: *Decem grana pauca ne ſunt, an multa? Efficiuntne acervum, an non?* tamdiuque texendo ac retexendo urgebant, donec exprimerent vel primum illud, quod multa facit, vel ultimum, quod facit pauca. Quod ſane

(1) Gellius l. 9. c. 15. *Controverſia parum conſiſtens, quodgenus Græci ἄπορον vocant, Latine id non nimis incommode inexplicabile dici poteſt*. Vide Ciceronem l. 2. de Divin. c. 4. & Acad. 4. c. 16. & 29.

ſane inveniri nequit, quia nobis natura neque ſummos, neque infimos rerum gradus patefacere voluit. (2)

*Quid eſt Pſeudomenos?*

R. Pſeudomenos, qui Latine *Mentiens* dicitur a Cicerone lib. 2. de Divin. c. 4. interdum ſumitur pro quolibet ſophiſmate, ex quo contraria efficiuntur, & cujus exitus reperiri nequit: interdum pro peculiari quadam cavillatione, per quam Sophiſta ita interrogabat, ut eſt apud Gellium lib. 18. c. 2. *Cum mentior, & mentiri me dico, mentior, an verum dico?* (3)

*Suntne alia apud Logicos inexplicabilia?*

R. Eſt etiam *Ignava ratio*, Græce ἀργὸς λόγος, quæ ita extruebatur, ut eſt apud Ciceronem de Fato c. 12. *Si*

(2) Cicero Acad. 4. c. 16. *Cum aliquid minutatim & gradatim additur, aut demitur, SORITAS hos vocant, quia acervum efficiunt, uno addito grano.* Latini *Acervales* dicunt. Eſt & alia Soritis forma, quam vide in *Rudimentis* P. 3. c. 3. & in noſtra Acroaſi *de Sorite*. Ab Arriano de Serm. Epitecti l. 2. c. 18. appellatur *Quieſcens*, ἡσυχάζων, quod ei Chryſippus *quieſcendo* reſiſteret, ut eſt in Acad. Ciceronis 4. cap. 29. Apud. Sex. Empiricum ſignificatur nomen hoc per verba ἵσταθαι & ἐπέχειν, Pyrrhon. hypoth. l. 2. c. 22. n 253. οἱ περὶ τὸν Χρύσιππον δογματικοὶ, ἐν τῇ συνερωτήσει τοῦ σωρείτου, προϊόντος τοῦ λόγου φασὶ δεῖν ἵσταθαι καὶ ἐπέχειν, ἵνα μὴ ἐκπέσωσιν εἰς ἀτοπίαν. *Dogmatici, qui ſequuntur Chryſippum, interrogati per Soritem, ajunt procedente ſermone oportere inſiſtere & ſuſtinere ſe, ne incidant in abſurdum.*

(3) Vide Acroaſim noſtram de *Pſeudomeno*. Nam res eſt ejuſmodi, ut paucis verbis explicari non poſſit. Hinc certe apparet, locum Ciceronis in Acad. 4. c. 29. ita legendum eſſe: *Si te mentiri dicis; idque verum dicis, te mentiri: verum dicis.* Vel tria poſtrema verba ita ſunt legenda: *mentiris, & verum dicis.* Vel ita: *mentiendo verum dicis.* Si poſtrema hæc lectio retinenda ſit, oportebit Sophiſma ita efferre: *Si, dum verum dicis, te mentiri dicis, mentiendo verum dicis: dum autem verum dicis, te mentiri dicis: mentiendo igitur verum dicis.*

*Si fatum tibi eſt, ex hoc morbo convaleſcere, ſive medicum adhibueris, ſive non, convaleſces*: item, *ſi fatum tibi eſt, ex hoc morbo non convaleſcece, ſive medicum adhibueris, ſive non, non convaleſces: at alterutrum fatum eſt: medicum ergo adhibere nihil attinet*. Siquid interrogatio iſta valeret, omnis e vita tolleretur actio. Sed reſpondendum eſt, in ſola divina mente, quæ futura omnia ſibi præſentia videt, res eſſe fatales, & modos earum confatales. Alterutrum igitur, quod rogatur, procul dubio futurum eſt; quamvis nec modus agendi & cognoſcendi noſter, nec ipſa rei natura patiatur, ut ſit neceſſarium, & poſſit definiri, antequam ſit. (4)

(4) Ejuſdem ordinis fallacia eſt *Dominans ratio*, de qua Arrianus de Serm. Epitect. l. 2. cap. 19. Per hanc colligebant, fatum in rebus omnibus *dominari*; unde illi nomen fortaſſe eſt. Ejuſdem item eſt ordinis *Metens*, Græce θερίζων, unde efficiebant, nullam *meſſis* curam eſſe ſuſcipiendam, quæ fatalibus cauſſis regeretur. Vide Acroaſim noſtram de *Ignava ratione*: ubi tota hæc controverſia, quæ *de Futuris contingentibus* vulgo dici ſolet, abunde explicatur.

F I N I S.

# INDEX
## RERUM, ET VERBORUM.

### A

ACademicorum ſcientia p. 142.
Accentus fallacia 210.
*Accidens*, vox Scholaſtica 40. Uſurpatur a Seneca 16. Quid & quotuplex ſit 39. & ſeq. & 54. Qua ratione dicatur univerſale 41. Quomodo ſit in ſubjecto, & dicatur de ſubjecto 49. Ejus locus in arte Topica 205. Ejus problema 194. Ejus fallacia 214.
Actio quid & quotuplex ſit 73. Ejus proprietates 74.
*Æquivoca* vox Scholaſtica 46.
Agoniſma 182.
Alcibiades, Ajax, Achilles num magnanimi 167.
*Alteratio* vox Scholaſtica 82.
Ambigua 46. Quomodo diſtinguantur 190.
Amphibolia quæ 212.
Anacharſis 125.
Analyſis quid ſit, & quotuplex 89. vox Geometrica. 91.
Analyticis libris continentur principia totius Peripateticæ Philoſophiæ. 88.
Analytici libri quomodo dividantur 90. cur dicantur Priores, & Poſteriores ibid. Eorum finis. 91.

Anaxagoras ſapiens, non prudens 153.
Animalium gradus in cognoſcendo 101. 102.
Anteprædicamenta quæ 45. & 50.
Antoninus Philoſophus irriſus a Mimo per fallaciam 211.
Apparatus ad copiam diſputationis quomodo fiat 189.
Archytas Tarentinus num auctor ſit Categoriarum 51. & 52.
Auctoritas quem habeat uſum in probando 109. 110.
Axioma quid ſit, & quomodo differat ab aliis principiis 99. 100. Cur Axiomata dicantur communia 119.

B

BAttologia 219.
Bellum generis rationem habet, tumultus ſpeciei 198. In bello licet fallacias adhibere 221.
Bonum quid ſit 189.

C

CAnones Epicuri 96.
Categoriæ cur priorem Logicæ partem occupent 24. De illarum Auctore 51. Categoriæ Ariſtotelicæ unde ſint, & quot ſint 51. & ſeq. Platonicæ 84. Stoicæ 86. & ſeq.
Cauſſa quid & quotuplex ſit 161. Quænam cauſſa adhibeatur in definiendo, & demonſtrando 161. & ſeq. Cauſſa remota quanti valeat 124. 125. Cauſſa una multorum effectuum 172. Parit fallaciam 216. Non cauſſa pro cauſſa fallacia eſt 215.

Ci-

Cicero Stoicos audivit, & Stoicus eſt 87.
Circulus in argumentando quinam ſit 126. & ſeq.
Ejus conditiones 128.
Cleanthes & Chryſippus principes ſcholæ Stoicæ 98.
Cognominata 46.
Compoſitio Epicurea 97.
Cometæ non ſunt cauſſæ rerum 215.
Compoſitionis fallacia 213.
Comprehenſio quid ſit apud Stoicos 98. & 145.
Concluſio ex probabili quam firma ſit 183.
Conjugata quænam ſint 46.
Conſequens quid ſit 89.
Conſequentia quid 89.
Conſequentis fallacia 215.
Contiguum quid 60.
Continuum quid 60.
Contradicentia quæ 80.
Contraria quæ 77. Contrariorum conditiones 78. & ſeq.
Corporalia & incorporalia apud Stoicos 86.
Corpus quid 61. & 62.
Corvi albi 40.
Cynici in propatulo coibant 215.

D

DAphita deceptus ab Oraculo per fallaciam 212. Definitio quid & quotuplex 99. & 164. Eſt medium demonſtrationis 157. Ipſa non demonſtratur, nec demonſtrat, ibid. & 160. Num ſit modus ſciendi ibid. Quinam ſint definitionis loci 166. & ſeq. Quæ capiant definitionem 172. & ſeq. Quomodo

definitio adhibeatur in Topicis 194. 201. & ſeq.
Demonſtrare quid ſit 90.
Demonſtratio quid 111. Demonſtratio in orbem 126.
Demonſtratio Stoica 145.
Demonſtrationis præmiſſæ quibus conditionibus præditæ 111. & ſeq. Demonſtrationis neceſſitas 114. Demonſtrationis exempla 121. & ſeq. Demonſtrationis materia & medium 157. Demonſtratio *a priori*, & *a poſteriori* 123. & ſeq. Ex quibus fiat 119. 120.
Deus quid ſit 59. Num collocetur in Categoria ſubſtantiæ 59. Definiri non poteſt. ibid. Quomodo ſit in loco 75.
Dialectica quid ſit apud Stoicos & Platonicos 13. & 19.
Dialecticus per excellentiam 87.
*Dici de omni* 115.
Dicti non ſimpliciter fallacia 215.
Differentia quid & quotuplex 33. & ſeq. Dividit & conſtituit 35. Differentia propria una eſſe videtur 36. Ejus magna eſt ignoratio, ibid. & 37.
Differentia quomodo inveſtigetur 191.
Differre ſpecie & Differre numero 24. 25. & 34.
Diogenes 211.
Diſparata quæ ſint 36.
Diſpoſitio quid ſit 66.
Diverſa quæ dicantur 36.
Diviſio ſervit definitioni 158. Diviſionis fallacia 213.
Diviſiones vocum & rerum 46. & 47.
Dubitatio quid ſit, & quando adhibenda 107. & ſeq.

Ef-

## E

Effecta quomodo cognoſcantur 126.
Efficiens ſola vera cauſſa eſt 161.
Elenchus Sophiſticus quid ſit 207. A quo primum adhibitus 209. Quomodo differat ab elencho contentioſo, & apatetico 208. Cur de eo diſputetur 209. Unde ſumatur 210. Elenchi Sophiſtici finis 208. 219. Ejus ſolutio vera, & fucata 221. & ſeq.
Entia rationis 31. & 52.
Epichirema quid ſit 182.
Epicureorum ſcientia & demonſtratio 143. & ſeq.
Epicurus non contemſit Dialecticam 96. Admiſit notionem Deorum a natura impreſſam 96. Item prænotiones aliarum rerum ſenſibus comparatas 97.
Euclides Dialecticus irriſus per fallaciam 211.
Evidentia quotuplex 133. 134.
Exempla vera eſſe, neceſſe non eſt 38.

## F

Fallaciæ vocum in diſputando 210. & ſeq. Fallaciæ rerum 214. & ſeq.
Figura quid ſit 67. Cur dicatur *Meta*, ibid. Figura dictionis 211
Forma quid ſit 67. Interdum apud Ariſtotelem eadem eſt ac definitio 183.
Fortuna dicitur cauſſa rerum per fallaciam 216.
Fucata ſophiſmatis ſolutio 220.
Futura contingentia 224.

## G

GEnus quid ſit 23. 197. Perperam definitur a Scholaſticis 24. Quotuplex 25. & ſeq. Interdum pro ſpecie uſurpatur 26. Quam prædicationem capiat 44. Generum differentiæ 49. & ſeq. A genere quomodo ſumantur argumenta 198. & ſeq. Generis problema 194.
Generum differentiæ 49. & 50.
Gracchi battologia 219.

## H

HAbere quot modis dicatur 82. & ſeq.
Habitus quid ſit 66. & 75.
Homonyma quæ 46.
Homonymia quid & quotuplex ſit 211. 212.
Hypotheſis quid ſit 99.

## I

IDeæ Platonicæ quid 19. & ſeq. Ideæ innatæ cur a Platone admiſſæ 102. 128. Ideæ quomodo a Platone probentur 138.
Ignava ratio quid ſit 223. 224.
Ignorantia quid & quotuplex 149. 150.
Individuationis principium 30.
Individuum quid & quotuplex ſit 29. Ejus notæ, ibid.
Inductio ſervit definitioni 154. Ejus principia 101.
Inexplicabilia quæ 221.
Interrogationis geminatæ fallacia 217.

Leib-

## L

LEibnitii demonſtratio 122.
Linea quid ſit 61. Recta, & curva non ſunt contrariæ 64.
LoKius ſumſit ab Ariſtotele 101.
Locuples unde dicatur 202.
Locus ſpecies quantitatis 62. In loco quomodo res ſint 75.
Logicæ nomine quid ſignificetur 13.
Logicæ materia, & partes 14.
Lyſander num magnanimus dici poſſit 167. & 168.

## M

MAgnanimitas quid ſit 167. 168.
Materia, & Materiæ neceſſitas cauſſa eſt 162.
Medium demonſtrationis 157. Quomodo Latine vocetur 158. Medium ſolvendæ quæſtionis quodnam ſit 176. & ſeq.
*Metens*, quænam ſit argumentatio 224.
Momentum quid ſit 61.
*Moror*, vox accentus ancipitis 211.
Motus quomodo definiatur 174. Motus ſpecies 82.

## N

NAturæ ſimplices definiri nequeunt 173. 174.
Neceſſitas materiæ quæ dicatur ab Ariſtotele 162.
Neceſſitatis gradus in demonſtrando 114. & ſeq.

Negatio quid ſit 79. & 80.
Nero ludebat in morte Claudii per fallaciam accentus 211.
Nexus communis quid ſit 61.
Nilus 172.
Notiones innatæ non admittendæ 102. & ſeq. Hoc nomine quid intelligant Sancti Patres 103. Cur admiſſæ a Platone 103.
Notitiæ apud Epicurum quid ſint 96.

## O

OPinio quid ſit 154. Num poſſit conſiſtere cum ſcientia, ibid. Num poſſit eſſe cum fide 155. Eſt in ſtultis 145.
Oppoſita quæ 76.
Oracula ambigua irridentur a Luciano 212.
Orationis numerus quinam ſit, & quotuplex 63.

## P

PAradoxum quid ſit 219. & ſeq.
Paronyma quæ 46.
Partes totius Logici, & totius Phyſici quomodo adhibeantur in argumentando 198. & ſeq.
Paſſio quid ſit 67. & 73.
*Patibilis* qualitas quæ 67.
Peripatetici unde dicti 13.
*Per ſe* quæ dicantur 115. 116.
Petitio principii quid ſit 127. 216.
Piſtilli fallacia quæ 127.

Pla-

Platonis ideæ 20. & ſeq. 137. & 138. Platonis prænotiones 95. Platonis ſcientia 136. & ſeq. Platonis ſophiſma 92.
Porphyrius quis 15. Cur prædicabilia explicuerit, & unde ſumſerit 17. Etiam Prædicamenta explicuit 45.
Poſteriora Analytica 90.
Poſtprædicamenta quæ & quot 76.
Poſtulatum quid 99. & ſeq.
Potentia, & impotentia quid ſit 67.
Præcognita quæ 94.
Prædicabilia cur præmittantur Categoriis 17. Cur ab Ariſtotele explicentur in Topicis 15. Quæ & quot 16. & ſeq. Quinam ſit eorum uſus 17. Quomodo dicantur univerſalia 18.
Prædicatio quid & quotuplex 42. & ſeq. Prædicatio identica 43. Prædicatio non cadit in res 42.
Præjudicium quid, unde oriatur, & quomodo deponendum 105. & ſeq.
Prænotio quid & quotuplex 92. & ſeq. Prænotiones Epicuri, Platonis, & Stoicorum 95. 96. 97.
Principia cognitionis quæ & quot 99. & ſeq. Non ſunt innata 101. Oriuntur a ſenſibus. ibid.
Priora Analytica 90.
Privantia quæ 79. & 80.
Privatio quid 79. & 80
*Prius* quot modis dicatur 80
Probabile quid ſit 183. & ſeq.
Problema Dialecticum 186. qua in re verſetur 187. Ejus loci 193. & ſeq. Problema ſpeciei, & differentiæ cur non ſit 195.
Pro-

Propoſitio quid apud Ariſtotelem 188. Unde ſumantur propoſitiones 189. 190. 191. 195.
Proprium quid & quotuplex 37. Proprium hominis quid ſit 39. Locus proprii in arte Topica 204. Ejus problema 194.
Protagoras Abderites 209.
Pſeudomenos 223.
Pſeudographus ſyllogiſmus 208.
Punctum quid ſit 61.
Pyrrhus deceptus ab Oraculo per fallaciam 212.

## Q

QUæſtio omnis ad Logicam pertinet 14. Quæſtio quid & quotuplex 175.
Quomodo ſolvatur 176. & ſeq.
Qualitas quid ſit 65. Ejus ſpecies 66. Qualitas occulta quæ 69. Qualitas Rhetorica quæ, ibid.
Quantitas quid & quotuplex 60. & ſeq. Quibus proprietatibus prædita 64.
*Quinque* dicitur numerus par & impar per fallaciam 213.

## R

RArum & denſum num ſpecies ſint qualitatis 68.
Regreſſus quid ſit 126. & ſeq.
Regulæ Antepradicamentorum 49.
Relata & ſeq. quibus nominibus gaudeant 70. Quæ ſint 70.

Rela-

Relatio quid & quotuplex 70. Quomodo conſtituat Categoriam 71. Quænam ſint ejus proprietates 71. & ſeq.
Reminiſcentia Platonica 104. 126. & ſeq.
Ridendi facultas non videtur hominis propria 39.

S

SAgacitas quid ſit 156. Num pertineat ad ſcientiam, ibid.
Sapientia quid & quotuplex 151. & ſeq.
Sceptici de ſcientia quid ſenſerint 141.
Scientia quid & quotuplex 133. & ſeq. Oritur a ſenſu 147. Non eſt ſingularium 135. 148. Scientia veterum Phyſicorum 136. Platonicorum, ibid. & 137. & ſeq. Scepticorum, Academicorum, Epicureorum, Stoicorum 141. & ſeq.
Senſus parit principia 101. Communis eſt belluis ibid.
Senſibilia quomodo cognoſcantur 139.
Signum quid & quotuplex 129. & ſeq. Quo ſigno utantur Philoſophi, quo Rhetores 130. Quo Stoici 131.
Simplices naturæ non poſſunt definiri 173. 174.
Similitudo, ejuſque inventio cui bono 191.
*Simul* quot modis dicatur 81.
Situs 75.
Socrates num fuerit magnanimus 167.
Solœciſmi fallacia apud Plautum 182.
Sophiſma quid ſit 208.
So-

Sophiſtæ quinam ſint, & quo ſpectent 208.
Sophiſtici elenchi 207. & ſeq. v. Elenchus.
Sorites quid ſit 222. 223.
Species quid ſit 27. Caret duobus caſibus apud Latinos, ibid. Quotuplex 28. Pro individuo interdum uſurpatur 30. Species Prædicabilis & Subjicibilis 31. Interdum gaudet nomine generis, ibid. Speciei problema 195.
Spiritus non habet differentias corpori communes 50.
Stoici dominati in Dialectica ſunt 87. Eorum Categoriæ 86. & 87. Eorum prænotiones 98. Eorum ſcientia 144. Eorum demonſtratio 145. Eorum ſapientia 152. 155.
Subjectum prædicationis, & inhæſionis 48. Eſſe in ſubjecto, & dici de ſubjecto, ibid. & 49.
Subſtantia quid ſit 54. Quotuplex 55. Quibus proprietatibus prædita 56. & ſeq. Ejus gradus 58. Subſtantiæ modi apud Platonem 85. Quid apud Heraclitum 58.
Superficies quid ſit, & quomodo gignatur 61.
Syllogiſmi principia 101.
Syllogiſmus Dialecticus quinam ſit 182.
Synonyma quæ 46. Sola habent locum in Categoriis 46.

## T

TEmpus 62. & ſeq.
Termini reciproci 127.
Thales ſapiens, non prudens 153.
Themiſtius optimus Analyticorum interpres 94.
Theſis 98. 187.
Topica conjungenda cum Elenchis ſophiſticis 179. Unde dicantur; quæ ſit eorum materia, qui finis 180.
Topicæ diſputationis inſtrumentum 181.
Topica Rhetorica quomodo differant a Dialecticis 205.
Totum Logicum, & totum Phyſicum quomodo adhibeantur in argumentando 197. & ſeq.
Tranſcendentia quæ dicantur 53.
Tumultus ſpecies belli 198.

## V

UBi 75.
Velleji Epicurei fallacia 214.
Veriſimile 184.
Veritas odium parere dicitur per fallaciam 216.
Viſum apud Stoicos & Epicureos quid ſit 96. 97. 98. Univerſale quid & quotuplex 18. Univerſale Peripateticum 19. De Univerſali cur agatur in Logica

ca 20. De illo multa Scholaſtici 22. Sola Univerſalia ſcientiam capiunt 148. Sola capiunt definitionem 173.
*Univerſe primum* quid ſignificet 116. & ſeq.
*Univoca* quomodo Latine dicantur 46.
Voces quomodo dividantur 47.

Z

ZEnonis fallacia 213.
Zenonis ſcientia 144.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

FINIS.